

Hrubý, František

Urbánková-Hrubá, Libuše (editor)

## **Union de Frères en Moravie et ses relations avec la Suisse réformée**

In: Hrubý, František. *Etudiants tcheques aux écoles protestantes de l'Europe occidentale a la fin du 16e et au début du 17e siecle : documents.* Urbánková-Hrubá, Libuše (editor); Vyd. 1. V Brně: Universita J.E. Purkyně, 1970, pp. [383]-420

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/120373>

Access Date: 16. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

## IV

# **UNION DE FRÈRES EN MORAVIE ET SES RELATIONS AVEC LA SUISSE RÉFORMÉE**



## 1. AVANT LA MONTAGNE BLANCHE

(J. Dengius, A. Dudith, J. Enéas, M. Konečný, H. Langnetus, S. Müller,  
J. Narcis, A. Polanus, J. Reuterus, A. Stephan, G. Waser)

267.

1575, le 9 mars. Prague.

*Hubert Langnetus à Joachim Camerarius,<sup>1</sup> Nuremberg: il lui décrit la visite qu'il a faite à Ivančice et le succès de ses négociations avec Jean de Žerotín et avec les Frères au sujet de l'invitation en Moravie d'Esrom Rüdinger. Celui-ci est disposé à accepter l'invitation, d'autant plus que le docteur Crato l'approuve.*

Publié dans: Viri cl. Huberti Langneti Burgundi ad Joachimum Camerarium patrem et Joachimum Camerarium filium medicum scriptae epistolae. Groningae 1646 in 16°. Editeur: Luis Camerarius. P. 221—223.

Fui nuper in Moravia cum Dr. Jordano,<sup>2</sup> qui duxit me Evanczicium,<sup>3</sup> ubi fratres Valdenses habent praecipuam suam ecclesiam. Loquuti sunt mecum de nostro Esromo<sup>4</sup> et ostenderunt se valde expetere eius ad se adventum. Scripserat paulo ante ad ipsos Dr. Crato<sup>5</sup> se improbare ipsorum consilium de accersendo Esromo; se enim metuere, si eo veniret, ne illustrissimus noster princeps de eo ad imperatorem scriberet imperatorque in eius gratiam aliquid durius in Esromum constitueret. Verum, cum ad ipsos venissem, facile ipsis exemi illum scrupulum et praesertim generoso d. Joanni Zerotino,<sup>6</sup> viro magnae virtutis, qui est praecipuus fautor et patronus illarum ecclesiarum et omnium bonorum virorum ita, ut tunc omnino decreverint nostrum vocare promisitque mihi d. baro Zerotinus se eius patrociniū suscepturum et, si quid tale accideret, quale metuebat Dr. Crato, se dicturum imperatori vocatum eum a se, ut ei filium instituendum tradat. Non licere autem imperatori inquirere in ministros domesticos procerum

<sup>1</sup> Joachim Camerarius le Jeune (1534—1598), fils de Joachim l'Ancien, ami de Melanchton et protecteur de l'Union de Frères en Moravie. Médecin depuis 1564, il exerçait aussi à Heidelberg. Cf. aussi J. Gillet I, p. 69 et suiv.

<sup>2</sup> On parle du docteur Jordan de Klausenburg. Voir No 72.

<sup>3</sup> Les démarches ayant pour but la création d'une école supérieure à Ivančice commencent dès 1574 où Jean de Žerotín l'Ancien s'adressa à Esrom Rüdinger, professeur de langues à Wittenberg, et lui demanda d'assumer le rectorat de l'école qui devait être „eine adeliche und Herrn Schule“, où les jeunes gentilshommes s'exerceraient „in freien Kunsten, lateinischen und anderen Sprachen“ (voir A. Molnár, p. 200).

<sup>4</sup> Esrom Rüdinger était calviniste plutôt que luthérien; pour cette raison, il dut quitter l'Université de Wittenberg à l'époque où le luthérianisme y triomphait et il put accepter le poste qu'on lui proposait en Moravie.

<sup>5</sup> Crato de Kraftheim soignait probablement même Charles de Žerotín; voir à ce sujet sa lettre à Jean de Klausenburg (du 4 juin 1574), où il écrit: « Caroli sanitas me angit, oportet corpus bene nutrire... » L. Scholzii, med. Vratislaviensi Consiliorum et epistolarum medicinarum J. Cratonis a Craftheim... liber IV, Francfort 1593, p. 409.

<sup>6</sup> Jean de Žerotín, père de Charles.

Moraviae. Commodum accidit, ut sub meum adventum in hanc urbem Dr. Crato acceperit literas ab Esromo, qui scribebat se vocari ab Heidelbergensibus, Basiliensibus et a fratribus Valdensibus; animum autem magis inclinare in Valdenses. Sed ab aliquot mensibus nihil se ab eis literarum accepisse et propterea metuere, ne sententiam mutaverint. Cum legissem literas, dixi Cratoni, quid de ea re a nobis esset actum in Moravia et facile ei persuasi, ut consilium nostrum probaret. Consului autem, ut generoso dno Zerotino statim significaret, quo animo sit Esromus, quod promisit se facturum et credo eum fecisse. Idem ego scripsi ad Jordanum, qui Esromi causam diligenter agit. Veniet Esromus ad homines convenientes suis moribus, hoc est sine pompa et fuco et quos beneficos erga se experietur. Praecipui concionatores amant eum ut praeceptorem. Senior, qui est tanquam superintendens, etiamsi forte de facie eum non noverit, valde tamen eius adventum expetit. Habebit commodum amicum Dr. Jordanum, virum ingeniosum, doctum et prudentem, cuius consilio in suis rebus uti poterit. Haec tibi de eo indicare libuit, quae spero tibi non fore ingrata.<sup>a</sup>

Pragae 9. Martii 1575.

## 268.

1575, le 9 juin. Prague.

*Hubert Langnetus à Joachim Camerarius: il a rencontré à Prague Esrom Rüdinger qui partait pour Moravie; il y a parlé également à Jean de Žerotín et à André Štefan, supérieur de l'Union de Frères. Ils lui ont dit qu'on déciderait prochainement si l'école de Rüdinger serait créée à Ivančice ou à Třebíč.*

Publié dans: Viri cl. Huberti Langneti Burgundi ad Joachimum Camerarium, p. 227—228.

Noster Esromus hac faciens iter mihi visus est esse praesentiore animo, quam unquam fuerit Vitembergae, dum securo otio fruebatur. Tantum abest, ut eum calamitates fregerint. Animus bene conscius eam ipsi alacritatem praestat. Trebicum, quo hinc est profectus, abest viginti miliaribus eo itinere, quo itur Vienne. Accidit imcommode, quod baro Zerotinus,<sup>1</sup> a quo est vocatus, Stephanus<sup>2</sup> senior ecclesiarum Moravicarum et magister Esaias,<sup>3</sup> qui ipsum Esromum tanquam parentem colit, eodem die, quo hinc discessit, sub vesperam venerunt huc, ubi aliquamdiu fuit; ipsis commorandum ob disceptationes de religione. Ubi de eius profectione fuerunt certiores facti, statim miserunt ad eum iuvenem peritum linguae germanicae, qui esset ei dux itineris; qui ita properavit, ut postridie sub meridiem sit eum assequutus. Reperit Trebicium M. Joannem Aeneam,<sup>4</sup> ministrum Verbi, virum doctum et Marcellum, medicum Italum. Mihi percontanti, quid de eo constituissent, responderunt baro Zerotinus et Stephanus senior se nondum quicquam constituisse, sed se post reditum in patriam ducturos eum Evanczicum,

<sup>a</sup> La lettre n'est pas reproduite en entier. La partie manquante ne concerne pas les affaires moraves et traite surtout de la guerre turque.

<sup>1</sup> Il s'agit de Jean de Žerotín à Náměšť. Voir No 74.

<sup>2</sup> André Štefan (1528—1577), évêque de l'Union de Frères. Il avait étudié à Goldberg, à Wittenberg sous Melanchton, Eber et Rüdinger et exerçait à Ivančice (cf. J. Jireček, p. 260).

<sup>3</sup> Isaie, collaborateur du Frère Lucas, membre du Conseil restreint de l'Union de Frères.

<sup>4</sup> Jean Aeneas. Voir No 57/1.

ubi est praecipua fratrum ecclesia, ibi enim habitat senior, qui est tanquam ipsorum episcopus seu superintendens. Postea deliberabunt cum eo, uter locus sit commodior ad constituendam scholam, Evancziciumne an Trebicum. Ab eo tempore de ipsius Esromi rebus nihil audivi, nam Jordanus,<sup>5</sup> qui ad me saepe scribere solet, dudum est apud quendam ex proceribus Moraviae gravissime decumbentem, qui non permittit, ut a se discedat. Scripsit ad me tamen se dolere, quod nondum sibi licuerit videre Esromum, cui semper fore parata sua officia promittit.<sup>a</sup>

Pragae 9. die Junii 1575.

## 269.

1575, le 3 décembre. Ivančice.

*André Štefan, supérieur de l'Union de Frères, à Théodore de Bèze: il le remercie de la lettre adressée aux Frères et de l'intérêt qu'il porte à l'Union des Frères et dont Štefan a été informé par le docteur Crato. Réponse détaillée aux questions que Th. de Bèze a posées au sujet de la doctrine et de la vie de l'Union, notamment au sujet de la cène et du célibat des prêtres de l'Union.*

Paris, BN, Fonds Dupuy. MS. 268, fol. 135—137. Original autographe.\*

Salutem in Christo. Te vero Dominus ita instruxit donis suis, ut non tantum coram regibus loquaris de testimoniis ipsius, sed etiam ad orbem terrarum et ecclesiam universam. Itaque ea excusatione, quam praefatur monitionibus praeclarissimis ad nos suis epistola tua, non est opus. Et nos gratias debemus nobili et ornatissimo viro d. Cratoni, etc. quo interprete primum conciliatum est nobis censurae tuae de nostris pium studium. Et tibi agimus, quantas possumus, quod nostro etiam et nostrarum petitionum respectu nos usumfructum doctrinae et scientiae sanctorum tuae percipere sinis teque oramus reverenter, ut deinceps etiam de hac nobiscum non dedigneris communicare, quotiescunque nobis hac opus erit.

Ad primum caput autem de Sacramento Caenae Domini quod attinet, existimamus Tuae Dominationi esse satisfactum responsionibus nostris, quas ad d. Cratonem misimus. Etsi nequaquam ita gloriose de nostris sentimus, ut nihil uspiam eis ad perfectionem deesse, nihilne his melius fieri posse existimemus. Et videor ego meo etiam loco animadvertere multa et potuisse et debuisse in nostra confessione dici planius et cautius. Retinemus tamen fundamentum id, quo servato omnis falsa de hoc Sacramento persuasio sua sponte concidit et evertitur: Christum cum corpore suo non esse in terris amplius, de quo in capite de justificatione Confessio nostra, pag. 92. pronunciat. Et hoc si accommodetur iis, quae in capite de sacramento Caenae in eadem perscribuntur, ne nunc quidem videmus, qui locus suspicionibus aut dubitationibus de nostris esse possit.

Etsi fieri potest, ut non omnes nostri aequae rem semper intellexerint, unde et accidit, ut minus exquisite neque ad adversarios satis caute interdum locuti fuerint, quod illis ideo etiam magis ignoscendum, cum ex veteribus etiam multi

<sup>5</sup> Il s'agit de Jordan de Klausenburg. Voir No 72/7.

<sup>a</sup> La lettre n'est pas reproduite en entier. La partie manquante ne concerne pas le sujet qui nous intéresse, étant consacrée aux événements de Pologne.

ita incuriose in simplicitate fidei de hoc Sacramento locuti fuerint, ut non tantum vulgo, sed doctis etiam scandalo et fuerint et hodie adhuc sint nimis multis verba et formulae ipsorum, de quibus ad vos referre esset pisces in Peloponesum mittere.

Optimum tamen semper in ecclesia sic loqui, ut, quantum fieri potest, omne scandalum praecidatur et plana sit et plena oratio. Itaque nos etiam flexiloquas illas formulas, quarum in ecclesiae servitute iam nimis diuturnus usus est, semper improbavimus animis nostris et refugerunt eas maiores nostri, ut demonstrant scripta et definitiones horum.

Et tamen Lutherus nostra sic fuit interpretatus, quasi ipsius sententiae sint consentanea, sua quidem ille culpa, non nostra, neque enim nostri hoc unquam egerunt, ut cuiquam imponeretur. Etsi in quadam praefatione, quam confessioni Germanicae cuidam de Sacramento Caenae nostrae (quae est ibi planissime et plenissime exposita) praeposuit se non ita loqui audere scribit, ut nostrae ecclesiae de re loquuntur. Non tamen in una sententia permansit neque sibi constat, cum multa ab eo scribantur rectissime, et questum esse constat paucis mensibus ante mortem, quod in scribendo adversus Sacramentarios commisisset aliquid nimium et quaesivit, quomodo corrigeretur.

Discipuli eius in Saxonia et Misnia dogma Lutheranum, in quo acquiescant, sumunt sibi hoc (sicut ex articulis Torgensibus cognoscitur) esse mirabilem quandam et sensibus tamen incomprehensibilem praesentiam corporis ad locum panis. Atque ita ex Sacramento miraculum faciunt, et quod sensus tamen fugiat, ridicule, cum sint mysteria non miracula et miracula tantum sensibus, mysteria tantum fide percipiuntur.

De quo ideo ad vos testamur verbosius hac epistola nostra, quo minus dubites nos ab omni talis miraculosae praesentiae dogmate alienissimos esse. Haec enim ex Sacramentis Deum facit, cuius sunt Sacramenta et Christum introducit eiusmodi, quem ecclesia eius non novit, Eutychaenum scilicet.

Animadvertere tamen videmur offendi aliquos, quod in illa indicata pagella nostra genus praesentiae Christi alterum in terris, quod est in Verbo et Sacramentis, appellamus latentem et non in oculos incurrentem modum praesentiae. Metuitur enim ne miraculosam illam introducamus consubstantiatorum istorum, cum tamen mox diserte subjiciatur illam praesentiam totam spiritualem esse prorsus. Etsi maiores nostri hoc egisse videntur, ut cautius et distinctius loquerentur propter spiritualem praesentiam corporis Christi et veram divinitatis in terris eiusdem.

Aliter enim et propius se coniungit Deus cum Verbo et Sacramentis, ad quae se alligavit aliterque adest generi humano et membris ecclesiae suae quam creaturis reliquis; cum hominibus enim copulat eum philanthropia et dilectio ea, qua diligit nos in dilecto et hi fiunt spiritualiter unum corpus cum Christi corpore. Caeteris autem creaturis infinitio eum adiungit, quod ut mens infinita pertineat per omnia et nusquam concludatur. Et Christus etiam totus, sed non totum huius, non abest neque abesse potest ab ea coena, quam instituit, non tantum secundum divinitatis infinitionem, sed etiam alligationis illius et promissionis suae consideratione, cum et Sacramentum ipsum promissionem complectatur et alibi promittat. «Veniemus ad eum et mansionem faciemus. Et ero vobiscum usque ad consummationem mundi,» ut etiam de hac causa venerabilia signa appellasse ea videatur Dionysius et acyrologiis multis veterum de corporali praesentia corporis Christi in ecclesia occasionem haec res dedisse videtur.

Aliter etiam est in caelis, in quo solo loco vult invocari, etiam secundum formulam orationis Dominicae praescriptam a filio, ut caelum iam sit propitiatorium et tabernaculum foederis nostri, ubi est filius Dei Dominus noster Jesus Christus mediator et intercessor noster, quem tabernaculi et templi loca adumbrarunt. Ne quid tamen dissimulemus, pertulimus nos etiam, ut multi alii, servitutum magnam Lutheri temporibus, cum haec causa minus adhuc per Germaniam nota esset hominibus. Dabimus igitur operam etiam ex admonitione vestra, ut deinceps planius loquamur et acyrologias omnes vitemus.

De coelibatu, quod mones, retinuerunt eum, vel exercitia potius adhuc maiores nostri, cum inter pontificios viverent, apud quos maritis locus nullus fuit, neque eos tulissent auditores ipsorum, ex quibus plerique adhuc etiam maritis ministris nostris iniquiores sunt, ut tamen medio, quod est veritatis, itinere ingrederemur, ita de re disseri posse existimamus, sicut est in Confessione nostra neque quid addamus aut demamus iis, aut quid omnino aliud in ecclesia de re dici possit, intelligimus.

Excluduntur enim Joviniana et sic tamen liber usus et sua dignitas coniugio disputationibus nostris conservatur. Etsi frustra talia a nobis ad nostros stationarios, ut tu appellas, disputantur, tam parvae enim et inopes sunt pleraeque ecclesiolae nostrae, ut alere ex iis familias paucissimae possint neque, nisi qui patrimonialia habent aut manibus victum quaerere volunt, uxores apud nos alere. Vivimus enim ex contributionibus auditorum, a quibus praeter victum et cultum nihil ad nos redit et ne haec quidem in maioribus collegiis nostris, unde et manuarum artium operas ad ea alenda assumere necesse habemus, cum ordinarios redditus et aedes etiam sacras vel pontificii possideant vel his gemini Calixtini, qui sunt pseudadelphii nostri. Non tamen sic etiam desumus, qui in egestate extrema uxores ducunt et ne esuriant, quibuscunque modis possumus, curamus etiam ex collegiis nostris ad eos alendos contribuendo.

Caetera, de quibus ad d. Cratonem scripsit Tua Dignitas, ex genere sunt adiaphorum pleraeque. Non debent autem adiaphora turbare in ecclesia et nos servitutum, quae nihil complectitur impietatis, non detrectamus, etiam inter tam potentes hostes nostros ferre cogimur, quorum violentiae patemur undique. Vester zelus alius est et Taboritarum nostrorum similis, a quibus hac sola in parte recesserunt maiores nostri, sicut alibi docuimus.

Quod restat, iterum oramus, ut benevolentia tua nos complectaris et de doctrina tua quoquo tempore nostro nobiscum communices. De quo tamen, cum tam prolixè et benigne promittat pietas et humanitas tua, non debemus « amplius » laborare. Et tuis autem et ecclesiarum vestrarum piis precibus nos commendamus. Cum hoc tempore edicta imperatoria in vicina Bohemia proposita sint, quibus mandatur, ne amplius congressus ullos in publicis aut privatis locis ad conciones sacras habeant auditores nostri et ut ministri ecclesiarum nostrarum capti tradantur in arcem Pragensem, ad nos tamen nondum pervasit edicti huius inclementia, Christo gratia. Dominus te conservet ecclesiae. Bene vale, vir amplissime, et nos amare perge. Datae Evanczicium Moravorum 3. Decembris, anno 1575.

Tuae pietati addictissimus

Andreas Stephanus.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Cf. aussi F. Hrubý, Un témoignage tchèque sur l'Union de Frères en 1570, destiné en Suisse. Mélanges J. B. Novák, Prague 1932, p. 290, ainsi que les ouvrages y indiqués. [Adresse]: Ecclesiae Christi Doctori Eximio, Domino Theodoro Bezae, Theologo clarissimo, Domino amico omni observantia colendo. Geneva.



1577, le 7 février. Prague.

*Hubert Langnetus à André Dudith.<sup>1</sup> il lui fait savoir qu'il a demandé à Auguste, Electeur de Saxe, de lui donner son congé et explique les raisons de sa démarche. Information sur les événements politiques contemporains aux Pays-Bas, en Espagne et en France. Quant à lui, il séjourne actuellement à Prague et demeure chez le professeur T. Hájek.*

Paris, BN. Fonds Dupuy 797, fol. 326—331. Copie de la main de Jean Dupuy.

S. P. D. Magnifice domine. Ego eo nomine me plurimum tibi debere agnosco, quod sis sollicito animo ob mea pericula et quod scire cupias, quid de meis rebus constituerim. Quam periculosum sit cum calumniis conflictari, credo te saepius expertum esse quam velles nec fortassis es adhuc ab eo malo plane immunis. Qui amicos meos perdidierunt, existimant suis rationibus non conducere me adhuc utcunque salvum esse et propterea me, quibuscunque modis possunt, traducunt, existimantes se ea ratione inuituros gratiam apud illustrissimum principem, cui credunt me esse exosum, eo quod (ut ipsi dicunt) haeresin sacramentariam primus in illas regiones invexerim. Quoniam animum principis non potuerunt tam facile expugnare, quam ipsi sibi persuaserant, dederunt operam, ut me hic in odium et contemptum adducerent. Etiamsi nullius rei sim mihi conscius, ob quam istos metuere debeam, quia tamen imperitus jaculator saepe jaculando potest casu scopum attingere, constitui me recipere in ea loca, in quibus spero meam innocentiam fore tutiorem ab istorum quam sit hic, ubi gens nostra (forte non immerito) est exosa, et iis, qui plurimum possunt, non valde grati videntur esse ii, qui sunt addicti ei religioni quam ego profiteor.

Petii itaque dimissionem ab illustrissimo meo principe<sup>2</sup> et ei liberrime causas exposui, quae me ad id impulerunt. Ante mensem id feci nec tamen hactenus respondit princeps ad meas literas, quas perferendas dedi tabellario mea pecunia conducto, quem vetui sine principis literis ad me redire. Interea tamen de aliis rebus ad me scripsit princeps et quaedam apud imperatorem agenda mihi mandavit. Consilium meum aperui magnifico domino Vobero<sup>3</sup> nec quidquam apud ipsum reticui eorum, quae ad principem scripsi. Volui enim etiam ab hac parte occurrere calumniis. Veritus enim sum, ne mei adversarii non bona fide huc scriberent causas, quibus conor persuadere principi, ut me dimittat. Dominus Voberus

<sup>1</sup> André Dudith (1533—1589), issu d'une noble famille croate. Il étudia à Paris, en Angleterre et en Italie. Evêque catholique tout d'abord, il se convertit au calvinisme. Les Habsbourgs le chargeaient de missions diplomatiques en Pologne. A Breslau, il fréquentait les humanistes locaux. Il s'intéressait à la philosophie, à l'astronomie et à la médecine. Obligé de quitter la Pologne en 1587, il passa en Moravie, y acheta le petit domaine de Paskov. Demeurant à Paskov, « loco amoeno et rebus omnibus abundanti », comme il écrivit le 10 septembre 1577 à Th. de Bêze (Paris, BN, Fonds Dupuy 797), il continuait à entretenir la correspondance avec les personnages les plus cultivés de l'époque. En Moravie, il fréquentait Frédéric de Zerotin, les médecins Crato de Kraftheim et Jordan de Klausenburg et séjournait souvent chez le professeur Thadée Hájek de Hájek. Pour les détails voir I. Esih, *Andrija Dudić Orehovički*, Zagreb 1932.

<sup>2</sup> Auguste, Electeur de Saxe; cf. J. Gillet I, p. 501, et II, p. 39.

<sup>3</sup> Il s'agit probablement de Woberus, « procancellarius »; cf. J. Gillet II, p. 39.

vehementer reprehendit, quod ad principem scripserim, effectum esse quorundam calumniis, ut in suspicionem apud plurimos hic venerim. Dixit enim se nullum caluisse hic, cui sim notus, qui non honorifice de me sentiat et loquatur. Quum quorundam sermones de me ipsi referrem, ex quibus aliud conicerem, respondit mihi eos, quos nominaveram, esse fatuos et consuluit, ut ipsos contemnerem. Sed de his plus satis.

Quid hic verum geratur et qua spe vivatur, credo Clenifeldium<sup>4</sup> ad te scribere. Hic spem non exiquam de pace Belgica concepimus. Joannes ab Austria mandatum habet a suo rege, ut de pace agat cum ordinibus seu statibus illarum provinciarum. Convenit jam inter ipsum et status, ut ex illis provinciis abducatur miles peregrinus, ut fiat abolitio omnium eorum, quae in his bellis contra regis et legum auctoritatem facta esse videntur, ut provinciis et urbibus adempta privilegia restituantur, ut nemo ad magistratus aut alia munera publica admittatur, qui non sit natus in illis provinciis, ut sit rata pax facta a statibus cum principe Orangeo<sup>5</sup> et cum Hollandis et Zelandis, ut facta pace indicatur conventus omnium ordinum illarum provinciarum, in quo deliberetur de religione et de direptione Antverpiensi. Aiunt Hispanos respondisse Joanni ab Austria mandanti, ut se ad discessum pararent, se tum demum discessuros, si debita plurimum annorum stipendia fuerint ipsis numerata et tot naves datae, quot sufficiant ad revehendum ipsos in Hispaniam cum pecunia, quam ex stipendiorum solutione accipient et cum aliis rebus, quas in his bellis acquisiverunt. Si secum avexerint ea, quae Antverpiae rapuerunt, quid opus erit ea de re deliberationem instituere in conventu ordinum? Etiam si inter Joannem ab Austria et status convenit de capitibus, quae enumeravi, multae tamen difficultates se obiciunt, antequam haec actio ad optatum finem perducatur. Nam neutra pars se alterius fidei facile volet committere. Huguenoti vix multo sanguine impetrarunt a rege Galliae, ut indiceretur conventus ordinum regni ad constituendam regni administrationem et stabiliendam eius tranquillitatem. Jam experiuntur medicinam, quam tantopere expetiverunt, ipso morbo perniciosiorem. Indictus est conventus. Provinciarum legati petierunt a rege, ne ferat quemquam in suo regno profitentem religionem diversam ab ea, quam ipse et majores ejus semper sunt professi. Rex respondit se semper fuisse ejus animi et, quum fieret pax superiore aestate, se ideo tantum permisisse Huguenotis exercitium religionis diversae a sua, ut fratrem ab ipsis abduceret, quem quum jam secum habeat, se omnino constituisse id ipsis posthac nequaquam permittere. An non videtur aliqua commendatione digna tanta ingenuitas in tanta perfidia? Quanta esse insania, quum ipsi pace frui liceat, velle bello petere eos, quibus scit non deesse animum ad se defendendum, et qui sunt rebus omnibus ad bellum necessariis instructiores quam fuerunt superiore bello, ex quo tamen nihil nisi damnum et infamiam reportavit. Vides, quanta arte sciat aula Romana venena sua in animos hominum instillare ac eos dementare. Haec sunt scripta ex inferiore Germania: de iis autem nondum habuimus literas ex Gallia. Dominus Vulcobius<sup>6</sup> reversus est Ratisbona in Galliam. Hic dominum Harlacum expectamus, ad quem ante aliquot dies scripsi de libellis, quorum in literis tuis

<sup>4</sup> Il s'agit probablement de Hanfeldus, c'est-à-dire de Georges Hanfeld, professeur de théologie à Heidelberg (cf. J. F. Hautz, II, p. 114).

<sup>5</sup> Sur les événements politiques aux Pays-Bas et sur l'émission du soi-disant « édit éternel » le 17 février 1577 voir B. Š i n d e l á ě, Vilém Oranžský, Prague 1968, p. 118 et suiv.

<sup>6</sup> Jean Vulcob, sieur de Codron, ambassadeur français à la Cour impériale dans les années 1571-1576.

facis mentionem. Scripsi etiam ad alios amicos, sed metuo, ne vel nulli mercatores Parisienses veniant ad Francofurtensem mercatum vel, si veniant, discedant Lutetia, ante quam meas literas eo perveniant. Ego tibi et tuae familiae omnia fausta et felicia precor. Scribe, obsecro, tuas spes de rebus Polonicis. Vivo hic apud doctorem Tadaeum Hagecium,<sup>7</sup> virum optimum, dignum fortuna meliore ea, cum quae jam conflictatur.

Pragae, die 7. Februarii 1577.

Tuae Magnificentiae observantissimus

H. Languetus.

## 271.

1589, le 3 avril. Heidelberg.

*Amand Polanus de Polansdorf à J. J. Grynaeus: il lui fait parvenir l'ouvrage qu'il a écrit en Moravie contre le Jésuite V. Sturm et qui, grâce aux soins de Lavinus, a été publié à Prague. Si Grynaeus trouve qu'il serait utile de publier l'ouvrage aussi à Bâle, il fera un grand plaisir aux Frères qui soutiennent des polémiques fréquentes avec ledit Père jésuite. Il espère revoir Grynaeus à Bâle, car son élève doit bientôt s'y diriger.*

Bâle, ÖBdU. MS. G. II. 9, fol. 725. Original autographe.\*

Misit ad me Lavinus noster Analysin sex Paralogismorum Jesuitae cujusdam, quam ipso jubente, cum in Moravia essem, conscripseram. Eam Pragensi cuidam typographo dederat, ut typis describeret, quod ille multis in locis perperam fecit. Itaque ubi hoc exemplum unicum accepissem, statim, quae occurrebant, correxi illudque ad te, excellentissime vir, misi, ut tibi meam erga te observantiam probarem. Si analysis istam dignam luce judicaveris, facies fratribus nostris pergratum: qui quidem jam etiam in certamen ab eodem Jesuita provocati, multas Christianae doctrinae partes, edito in publicum libro, explicuerunt, quem ad te misissem, nisi Boëmicus esset. Boëmice enim illis respondendum fuit, cum Boëmice Jesuita<sup>1</sup> adversus ipsos scripsisset. Respondit Jesuita quidam domino d. Solino<sup>2</sup> ad disputationem de Antichristo. Baro meus Basileam brevi, uti spero, ibit, quo se principio statim conferre debuit, nisi certis de causis generosus dominus Carolus consilium suum mutavisset. Si Analysis illa edetur, nomen meum omitti poterit. Baro meus te peramanter salutare jubet. Vale, vir excellentissime, et me ama. Heidelbergae ex aedibus M. Davidis Paraei 3. Aprilis anno 1589.

Tuae Excellentiae observantissimus

A. Polanus.

<sup>7</sup> Thadée Hájek de Hájek (1525–1601) étudia à Prague et en Italie où il devint docteur en médecine. Professeur à l'Université de Prague (cf. *Stručné dějiny Karlovy university v Praze*, p. 102).

[Adresse]: Amplissimo ac clarissimo domino, magnifico domino Andreae Dudithio, Sacrae Caesariae Majestatis ad ordines polonicos, Domino suo summa observantia perpetuo colendo. — Cracovia.

<sup>1</sup> Venceslas Sturm, père jésuite, adversaire acharné de l'Union de Frères. Il publia sa « Défense » en 1588 (cf. F. Hrejsa, *Česká konfese*, p. 106).

<sup>2</sup> Zacharie Solin (mort en 1596) administrait l'église de Frères à Kralice et, notamment l'imprimerie de Frères. Il fréquentait beaucoup Charles de Zerotín.

1593, le 15 juillet. Náměšt.

*Jean Aenés à Théodore de Bèze: se trouvant chez Charles de Žerotin, il a l'occasion de lui envoyer une lettre. Il saisit cette occasion pour manifester sa grande estime à Th. de Bèze et pour lui souhaiter une longue vie pour le bien de l'Eglise. En Moravie, l'Eglise a beaucoup de difficultés car les catholiques sont de plus en plus forts et les luthériens détestent l'Eglise de Frères à cause de querelles dogmatiques.*

Paris, BN. Fonds Dupuy. MS. 104, fol. 127. Original autographe.\*

S. P. D. Cum in arcem generosi d. d. Caroli a Zerotin, patroni nostri, ut ei de felici tandem in patriam reditu gratularer, heri venissem, indicavit mihi illustris d. d. comes se Genevam iturum et, si quid eo scribere placeret, se fideliter curaturum. Ego etsi non habeo, quod potissimum scriberem, tamen praetermittere occasionem tam commodam nolui, sed hanc schedam, testem meae erga te virum illustrem, cuius opera Deus longo iam tempore in colligenda sua ecclesia clementer utitur, observantiae exaravi: fretus benevolentia et singulari tua a multis laudata erga pios et in vinea Domini laborantes propensione. Oro Deum, qui spiritus nostros, etiamsi ignoti simus nobis facie, amore mutuo coniunxit, ut te conservet suae ecclesiae et multos excitet, qui simili zelo et tam felici successu gloriam Salvatoris promoveant.

Nos magnas experimur in functione nostra difficultates, partim quod pontificii praeter solitum crescant numero et autoritate et omnes coniunctis viribus vim inferre exiguo gregi sunt parati, partim quod et isti, qui evangelio adhaerere videri volunt, cum vita contrarium arguat, ecclesias nostras earumque ministros persequuntur suisque nidulis ejiciunt.<sup>1</sup> Excitant ignem illum maxime concionatores multi dogmatis ubiquistici patroni et ferre nolunt, quantum in ipsis est, quod et doctrinam in eo articulo falsam oppugnent et vitam dissolutam improbent. Imminet huic regioni et hostis truculentus Turca, quem metuimus, ne mittat Deus ad compendendam hominum ingratitude, luxum et magnatum pene tyrannidem.

In huiusmodi periculis ut nostri quoque in sanctis precibus memineritis, oro atque obsecro. Deus, qui vocavit nos ad agnitionem filii sui, conservet nos in veritate sua et feliciter ad portum salutis aeternae perducat. Vale, vir amantissime, nosque pro amore prosequi non desistas.

Namestii 15. Iulii stylo novo anno salutis 1593.<sup>a</sup>

Tui observantissimus

Aeneas,  
ecclesiae Christi minister Evancicii.

<sup>a</sup> Le papier étant partiellement endommagé, l'adresse est difficilement lisible: «... eximio Christi servo Theodoro Bezae, Gene[ve]nsis antistiti, ... Patris instar colendo. A Genève.»

<sup>1</sup> Sur l'oppression dont les Frères étaient l'objet en Moravie voir aussi la lettre suivante.

1594, le 18 janvier. Heidelberg.

*Amand Polanus de Polansdorf à J. J. Grynaeus: en lui souhaitant une bonne année, il lui communique ce qu'il vient d'apprendre de Jean Aénéas, supérieur d'Ivančice, sur les fréquentes oppressions dont les Frères de Moravie ont à souffrir de la part notamment de Hynek Bruntálský de Vrbno, hejtman de Moravie. Nouvelles de Heidelberg.*

Bâle, ÖBdU. MS. G. I. 33, fol. 201. Original autographe.\*

Annum hunc tibi tuaeque familiae, reverende vir et patris loco mihi colende, faustum fortunatumque a Christo Domino precor. Literas meas 29. die Decembris Heidelbergae scriptas, tibi redditas esse confido. Nunc remitto scripta Bernensia, quibus adiunxi tria exemplaria Capitum Catechismi, quae in durante adhuc visitatione Palatarum ecclesiarum ab omnibus reposcuntur, quorum aliqui adeo rudes sunt, ut ne orationem quidem Dominicam teneant. Accepi ante sex dies epistolam a seniore Evanczicensi 4. Decembris scriptam, ex qua haec exscripsi, quae sequuntur: « Nos premimur hic praeter solitum, et inclementius fere agunt contra nos ii, qui Evangelici haberi volunt, quam pontificii. Promarchio<sup>1</sup> non vult plane nos ferre in ditione sua. Evanovicio expulit concionatorem nostrum. Non dubito idem facturum eum Lipnicii.<sup>2</sup> Ubiquistas ministros alit, ipsorum ministerio nostros uti vult, et corporalem invisibilis corporis praesentiam fateri. Bystricensis ecclesia nostra jam plane est eversa: migrarunt alio fratres. Turca, si quieverit aut pulsus fuerit, metuo, ne in nos tela sua vertant, qui nos oderunt. Proinde nostri in precibus vestris mementote, oro meo meorumque nomine.» Haec ex senioris epistola. Calaminus aegrotat, sed videtur convalescere: Deum oro, ut ipsum confirmet et servet. Illustrissimus elector ex papulis, quibus laboravit, convalescit; Deo sit gloria: jam triumphare ceperant hostes, qui spargebant mortuum esse. Generosus meus et tuus (cur enim non ita scribam, cum sit et tuus?) te tuamque conjugem et liberos salutat, quibus et ego salutem adscribo. Vale feliciter et me meosque Deo commendare ne desine. Heidelbergae die 18. Ianuarii anno 1594.

Tui observantissimus

A. Polanus.

<sup>1</sup> Hynek Bruntálský de Vrbno, «de tous les luthériens patron» en Moravie selon l'expression de Stanislav Pavlovský, évêque d'Olomouc. Selon les principes de la Confession d'Augsbourg, il essaya de donner à la Moravie une nouvelle organisation ecclésiastique (voir F. Hrubý, *Luterství a kalvinismus* . . . , p. 37 et suiv.).

<sup>2</sup> Lipník; on parle ici de l'expulsion de Paul Jessen, administrateur de l'église de Frères à Lipník depuis 1587 (voir A. Molnár, *Českokobratrská výchova*, p. 38).

1597, le 31 mars. Ivančice.

*Jacques Narcis<sup>1</sup> à Théodore de Bèze: il remercie Th. de Bèze d'avoir pensé à écrire une lettre à lui, qui est le dernier des serviteurs au vignoble du Seigneur, et à la petite Eglise oubliée qu'est l'Union de Frères. Tous les Frères ont accueilli avec joie les nouvelles sur l'Eglise française et ont le plaisir de pouvoir lui annoncer qu'en Moravie aussi l'Eglise jouit de paix. A Ivančice on a commencé à retablir l'école qui, sous la direction d'E. Rüdinger, avait jadis d'un si grand essor, en faisant appel à Nicolas Albert de Kamének, ayant jadis séjourné chez Th. de Bèze. Tous d'Ivančice saluent Th. de Bèze.*

G o t h a, LB. MS. A. 405, fol. 450—451. Original autographe.\*

Clarissime, reverende vir, domine et amice mihi summo studio observande. Literae tuae, superioris anni mense Augusto ad me scriptae, perlatae sunt in Moraviam et mihi redditae mense Februario anni currentis. Ex quibus quantam delectationem, quantum solatium et denique animi robur ceperim, hauserim et induerim, utinam possim verbis exprimere. Merita enim tua pietatem et studia erga ecclesiam universam grata suspiciet et conservabit posteritas, amorem, quo nostrum etiam exiguum coetum, abjectum in mundo, complexus es, nulla unquam delebit apud nos oblivio.

Sed quod post antecessores meos etiam ad me, quibus sum impar et quem Deus ad extremum in sua vinea laborem extrusit et inexhausta sua bonitate in specula collocavit, hac aetate tua rara et veneranda, sanctis jucundissima, hostibus invisâ, rivulis sanctae cohortationis et precum defluerit, id vero instar summi et divini beneficii mihi colloco. Solatur me intuentem characteres ardentissimi pectoris, characteres manus, gratia Christi, tum aliis vasis misericordiae, tum tibi ad hanc canitiam assistens. Animat et roborat tot vestrum viva acclamatio et ad me delata vox salutationis.

Quamobrem magnam gratiam tibi habeo, vir Deo chare, Beza mihi suavissime. Primum quod exiguas Christi copias in his terris in memoria habes, deinde precibus et cohortationibus sublevas, denique, quod me infirmum servum exemplo praeclaro ad opus Domini fideliter faciendum incitas. Pro quo beneficio benevolentiam debitam et memoriam gratam apud Deum et homines tibi polliceor, dum vivam. Caeterum de sancta conjunctione fratrum et post certamina ac pugnas diuturnas de statu ecclesiarum Gallicarum pacatiore, spem affulgentem ex tuis literis, omnes quibus eas communicavi, cum magno gaudio exceperunt. Quae ut rata, firma, stabilis sit, ad salutem piorum et gloriam Dei dilatandam et ut ministros porro vinculo pacis ac dilectionis arctius liget, magistratus ad populum Dei, ad zelum et sanctitatem sui spiritus robore confirmet et concitet, toto pectore Deum misericordiae patrem precamur omnes. De ecclesiis vero Germaniae et harum regionum solas Dei misericordias enarramus.

Exsurgit utrunque cornu blasphemum ab occidente et meridie, diversis quidem copiis, sed ad devastandas montes Domini minas spirans jamque semel atque iterum tela pestifera arcui imposuit. Sed tamen Deus ea forti manu excussit.

<sup>1</sup> Jacques Narcissus (mort en 1611), Ancien de l'Union de Frères, comptait parmi les historiens les plus éminents de l'Union.

Atque ita pax ecclesiis hactenus fuit, qua ut diu fruamur, optamus. Terret nos mundi effoeta senecta, terrent poenae meritae, terret iustitia peccatis debita. Sola reliqua est, qua sustentamur, Dei misericordia. Ne tamen desimus nostro officio, etiam superiore autumno in mediis fluctibus turbati mundi nidulos scholarum coepimus, post Esromi naufragia, intentius struere, ut praeter pietatis semina linguas et primas artes juventus hauriat.

Ad hanc provinciam selegimus ex grege ministrorum virum, quem habuimus nunc maxime idoneum, Nicolaum Albertum,<sup>2</sup> qui ante annos plus viginti ex schola Witebergensi Genevae hospes aliquot dierum tecum fuerat [?] humanissima consuetudine.

A meis collegis omnibus ac reliquis ministris inprimis et ab hoc non minus observanter et officiose salutaris. Quod et reliquis symmystis et parastatis tuis viris, ut vel nunc ex domino Paludio cognovimus piissimis et doctissimis, nunciari cupimus.

Vale et vive annos Methusalem. Datae Evantio postridie Palmarum anno gratiae 1597.<sup>a</sup>

Tui observantissimus

Jacobus Narcissus,  
ecclesiarum fratrum in  
Moravia minister.

## 275.

1603, le 18 mars. Ivančice.

*Jean Dengius Bâlois<sup>1</sup> à J. J. Grynaeus: il est heureusement arrivé en Moravie et M. Timinus l'a introduit dans la maison de Charles de Žerotín où un accueil très bienveillant lui a été réservé. Pour le moment, il assiste à l'école d'Ivančice en attendant de trouver une situation plus convenable. La persécution des Frères se propage de Bohême en Moravie. C'est dans le district de Kroměříž qu'il en pâtissent le plus, et cela notamment à cause de l'influence du cardinal François de Dietrichstein.*

Bâle, ÖBdU. MS. G. II. 4, fol. 94. Original autographe.\*

Optimo praeceptorum ac parentum in Christo salutem et pacem precor! Certior de valetudine tua a M. Socino<sup>2</sup> factus, magna profecto laetitia perfusus sum, vir

<sup>2</sup> Nicolas Albert de Kamének (mort en 1617); après des études à Wittenberg et à Genève, il devint administrateur de l'école de Frères à Ivančice et prit part à la traduction de la Bible de Kralice. Plus tard, il devint professeur à l'Académie de Prague.

<sup>a</sup> Erreur de datation chez Th. Wotschke.

[Adresse]: Theologo nostri seculi summo veneranda canitie seni Theodoro Bezae, ministro ecclesiae Genevensis, domino et fratri observando.

<sup>1</sup> Jean Dengius, originaire de Bâle, élève de Polanus. En Moravie, il assistait à l'école de Frères à Ivančice et, ensuite, il devint précepteur dans la famille du comte Jérôme Venceslas de Thurn. Il fut enterré à Rosice en 1605.

<sup>2</sup> Daniel Socinus, élève de Polanus. Après des études à Leyde, il vint en 1605 en Bohême et en Moravie pour y trouver un poste de précepteur mais, très tôt, il retourna à Bâle (R. Thommen, p. 53).

[Adresse]: Eximio Christi servo, domino J. Jacobo Grynaeo, S. S. theologiae in illustri Basiliensium Academia professori ordinario, antistiti ecclesiae Basiliensis fidissimo, domino ac parenti in Christo plurimum observando. — Deng. — Basileam.

reverende, praeceptor ac pater in Christo plurimum mihi observande. Deum optimum maximum ex toto animo precor, ut hanc tuam senectam tibi quam placidissimam concedat. Caeterum, quis successus fuerit itineris mei atque omnes res meae quem ad modum hic in Moravia sint, his tibi significare constitui. Salvus et incolumis, domino nostro Jesu Christo benigne adjuvante, huc appuli. A dno d. Timino, fautore meo fideli, humanissime sum exceptus, quocum etiam complures sum in aula illustris dni. Caroli baronis a Zerotin dies commoratus. Is vere generosus heros, commendatione tua paterna adductus, multis me in aula sua beneficiis afficiendum curavit. Merito ergo pro ea tibi gratias ago, quas possum maximas. Conditio quidem nulla hactenus mihi obvenit, non exiguum tamen in dies consequendae alicuius spem clarissimus dnus d. Timinus mihi ostendit. Eiusdem consilio nunc aliquandiu venerandis fratribus nostris, qui Eywanschitii degunt, me adiunxi, administris verbi divini orthodoxis, piis et eruditis; apud eos logicam praelego, disputando me exerceo, fidelibus etiam Germanis saepius concionando inservio, sic, ut existimem me commodissime aliquandiu, quam diu videlicet clementissimo Deo nostro visum fuerit, studiorum meorum tela sic pertexere posse. Interea conditionem opportunam expectabo. Et cum hoc tempore adhuc ea mihi desit, est quod a reverenda Tua Dignitate, clarissime vir, caeterisque Academiae proceribus, praestantissimis praeceptoribus et patribus summe colendis, majorem in modum petam, ut eandem, quam hactenus in liberali stipendii contributione benevolentiam erga me, clientem suum, declararunt, posthac quoque declarare dignentur, quod etiam hoc ipso humiliter et obnixè oro rogoque.

Novi quod scribam, nunc fere non occurrit. Jacobum Mayerum, quo cum Viennam Austriae Basilea profectus sum, ibidem extremos vitae suae dies clausisse iam innotuit, nuntii et fama ipsa sua celeritate meum nuntium superavere. Nuptias Viennae celebravit 12. Novembris styl. vet., 13. vero Decembris, qui erat dies sabbathi, intra 10. et 11. diei horam expiravit. Persecutiones, quas fideles in Bohemiae regno aliquandiu iam perpassi sunt, adhuc vigent. Quin et hic in Moravia quoque invalescere velle videntur. Pridie eius diei, quo has dedi, venit Eywanschitium ad nostrum dn. senioremem unus ex fratribus consilii petendi causa, qui ministerio verbi fungitur in quodam vico Ratagi appellato, non longe distante a Kremsier, ubi cardinalis suam sedem nunc habet. Is vehementer conquestus est de domino pagi illius, quod instigante ipsum cardinali nullas amplius conciones ibi fieri permittere, quodque eum penitus expellere velit, et templum ipsum convertere (ita ferunt minae domini ipsius) in haram, tabernam cerevisiarum aut vinariam. Quid ergo et hic antagonistae nostri adhuc moliantur, ex hoc non est obscurum. Deus autem aeternus pater Domini nostri Jesu Christi et hic et ubique terrarum suas oviculas benigne respiciat et omnes lupos ab ovili suo potenter depellat. Bene vale, venerande in Christo parens, praeceptor multis nominibus mihi observande, una cum toto observandorum ministrorum coetu, cui meo et totius huius collegi nomine salutem ascribo plurimam. Dominus Jesus te nobis conservet ad gratiosae gloriae ipsius laudem et nostram consolationem. Amen. Eywanschitii in Moravis, 18. Martii stylo novo anno 1603. Tuae reverendae Dignitatis observantissimus filius

Johannes Dengius.



1603, le 2 novembre. Ivančice.

*Jean Dengius Bâlois à J. J. Grynaeus: Il remercie Grynaeus de son aimable lettre et le félicite d'avoir été élu une nouvelle fois recteur de l'Académie de Bâle. Il lui rend grâce aussi de la bourse que le conseil municipal lui a envoyée et dont l'octroi avait été l'œuvre de Grynaeus. Il est toujours à Ivančice à aider les Frères; avec leur accord, il a entrepris, en compagnie du frère Venceslas Kopecký, un voyage en Pologne. A Opava, il est allé voir la mère d'Amand Polanus. En Pologne, il a visité l'Eglise de Poznan, qui souffre de violentes persécutions, et celle de Danzig. Il ne parlera pas de la Moravie: Grynaeus en aura des nouvelles par le porteur de la lettre.*

Bâle, ÖBdU. MS. G. II. 4, fol. 95. Original autographe.\*

Optimo praeceptorum ac patri in Christo, gratiam et salutem a Domino precor. Maximas tibi pro tuis literis ago gratias, magnifice dn. rector, praeceptor et parens in Christo, mihi multis nominibus observande. Incredibili sane gaudio me affecerunt, tum quod significarent Academiae rectoratum iterum tibi commissum esse. Quo nomine Tuae Magnificentiae totique scholae nostrae gratulor et aeternum aeterni Filii Patrem precor, ut tuis sanctis laboribus quam cumulatissime Spiritu sancto suo benedicat. Tum etiam quod constantis tui in me paterni amoris haud exiguam significationem continerent, cuius minime obscurum argumentum, quod dilectae matri meae pensionem a magistratu amplissimo mihi deputatum ipsemet dedisti atque insuper in eo te futurum paterne polliceris, ut porro quoque mihi non denegetur. Quod Deus opt. max. faxit simulque et eius honestus usus ad meam utilitatem cedat ipsiusque sanctissimam gloriam. Sanctis fratribus adhuc pro meo modulo hic inservio, et me benedictione divina, non in cassum apud ipsos laborare indies experior. Acceptissima ipsis fuit tua salutatio, preparentur Tuae Magnificentiae fausta et felicia quaeque. Ipsorum venia bona nuper peregrinationem susceperam in Sarmatiam cum pastore fidelium Germanorum fratre Wencesilao Kopetio,<sup>1</sup> quam auxilio Dei cum eodem quoque salvus et incolumis iterum absolvi. Comitem me ipsi adiunxi, non solum quia nullos necesse habui impendere sumptus, verum etiam quod in itinere cum viro pio et erudito assidue conferre licuit. Inprimis autem quia eo consilio patriae solum aliquandiu reliqui, ut quidem studiorum meorum telam in exteris quoque locis spiritus Christi gratia pertexerem, sed et experientiam aliquam peregrinando mihi compararem. Iter facientes per Silesiam, Oppaviam etiam pervenimus, ubi salutavimus quoque dilectam matrem clarissimi dn. d. Amandi, matronam honestissimam et valde piam. Vehementer nostra visitatione exhilarata fuit, quinetiam singularem humanitatem et benevolentiam erga nos declaravit, quamvis ob diuturnam absentiam mariti gravissime sit afflicta. Salutem ascribit plurimam Tuae Magnificentiae et charissimo filio (quem adhuc semel in his terris videre paravet) totique adeo cognationi. Posnanienses fideles in Poloniae regno magnis persecutionibus subjectos invenimus, rogatus ab ipsis eis annunciavi sanctum evangelium, quibus

<sup>1</sup> Venceslas Kopecký enseignait à l'école de Frères à Ivančice en 1607. Cf. J. Bidlo, Česká a polská větev . . ., p. 124.

tamen intra annos quindecim Posnaniae concionem Germanicam orthodoxam audire non contigit. Perlibenter me apud se retinissent. Ministrum Polonum habent (quamvis plerique sint Germani partim etiam linguam Polonicam callentes) iam longo tempore phtysi laborantem, Albertum Maximum,<sup>2</sup> qui olim Heidelbergae Tua Magnificentia etiam praeceptore usus est. Praeterito mense Januario harpyiae pontificiae irruptionem fecerunt in eius aedes et plane sathanicam rabiem exercuerunt, combusserunt ipsi libros et totam ferme eius substantiam diripuerunt. Nuper admodum non multum abfuit, quin ipsius conjugem et filiolum ingenti lapide per fenestras in hypocaustum injecto, miserrime interfecissent, quod malum tamen Deus clementer avertit. Is det, ut cuncti ob piam evangelii Christi professionem cruce et calamitate varia hinc inde pressi, tamen non opprimantur, sed in silentio et spe animas suas possideant. Caeterum quia Dantiscum non longe ab illo loco distabat, in quem profectio nostra instituta erat, eo quoque nos contulimus. Ecclesiastica periodo ibi fungitur, clarissimus dn. d. Fabricius<sup>3</sup> cum aliis collegis septem. Non ita quidem sublato hostiarum usu ex sacra caena in suam ecclesiam introduxerunt simplicem et communem panem, quo facto magnae quidem lites et contentiones inter ipsos et ubiquitarios exortae sunt, quas tamen magistratus iterum sedavit. Ibidem dn. M. Kekermannus<sup>4</sup> liberales artes profitetur, satis felici successu, non tamen absque invidia et odio antagonistarum maximo. De statu Moraviae non est, arbitror, necesse scribere, quem ex hoc penitus cognosces a quo istas accipies. Reverendum virum dn. d. Amandum vivere et valere ex animo cupio, una cum omnibus patriae et Academiae patribus summe colendis, quos Deus omnipotens omnibus donis suis magis magisque locupletet. Bene vale in Domino. Dominus Jesus Tuam Magnificentiam soletur et corroboret, nobisque diutissime conservet ad nominis sui gloriam. Eywanschitii Moravorum, ex collegio orthodoxorum fratrum 2. Novembris stylo novo, anno DIscE patlentIaM [1603].

Magnificentiae Tuae observantissimus  
filius Johan. Dengius.

## 277.

1606, le 12 janvier. Bâle.

*Simon Müller, un des gouverneurs de Jaroslav Smiřický de Smiřice, à Gaspard Waserus, Zurich: conformément à sa promesse, il l'informe de l'état et des souffrances de l'Union de Frères en Bohême et en Moravie: il décrit notamment la destruction de l'église de Mladá Boleslav qu'il a vue de ses propres yeux. Les nouvelles de Bâle.*

Zurich, ZB. MS. 159. 2. Original autographe.

<sup>2</sup> En 1582, Albertus Maximus était diacre. Cf. pour les détails J. Bidlo, *Jednota bratrská*, vol. III, p. 123.

<sup>3</sup> Etienne Fabritius, supérieur de l'Eglise de Berne.

<sup>4</sup> Barthélemy Keckermannus (1561—1609), théologien et philosophe réformé. Il étudia à Leipzig, à Wittenberg et à Heidelberg et fut professeur d'hébreux à Heidelberg et, à partir de 1602, à Wittenberg (J. F. Hautz II, p. 147).

[Adresse]: Magnifico viro, domino doctori J. Jacobo Grynaeo, ecclesiae et academiae Basiliensis antistiti fidussimo, praeceptori et parenti in Christo plurimum honorando. — Basileae.

Felix huius novi 1606 ineuntis anni initium, felicius medium felicissimum denique exitum Tibi totique domui tuae, vir reverende ac pater plurimum honorande domine Caspares Wasere, a Deo Patre et Domino Jesu vero . . .<sup>a</sup> ex intimis pectoris mei medullis comprecor et simul quoque studia ac officia sua promptissima offero.

Non immerito, vir clarissime, vereor, ne diuturno silentio meo, quod sane omnes aequitatis limites praetergressum esse infitias ire nequeo, decedat aliquid tum de meae erga Te declarandae et testificandae observantiae, tum de Tuae erga me benevolentiae existimatione. Namque cum in Augusto superioris anni cum Deo in vestra florentissima et inter confederatos Helvetios fastigium iure iustissimo tenente urbe Tiguri una cum illust. barone a Smiricz et aliis fuisset et a celeberrimo vestro multis aliis laudem Christianae humanitatis praeripiente collegio convivio nostri causa laute parato colloquiisque piis vel sicculis mensis, utilioribus referto exceptus ac proinde plus quam amice a cunctis praesentibus habitus tractatusque essem, pollicitus Tibi eram me postquam ex itinere Basileam secundis auspiciis reversi fuerimus, Te literis meis salutaturum compellaturumque quibus animum gratum pro Tua singulari erga nos multis modis declarata humanitate declararem. Continuationem aut potius aucionem piae notitiae ac amicitiae inter nos spacio duorum dierum . . .<sup>b</sup> contractae urgerem. Faciem item ecclesiarum Bohemicarum orthodoxarum (quae fratrum Waldensium aut ex odio Pichardorum vocantur) Tibi in aperto ponerem, occasionem denique Tibi ad rescribendum praeberem. Eo igitur nomine, quod tam longas in literis ad Te dandis moras duxerim ac proinde quasi ranam, ut in proverbio habetur, Seripheam, erga Te egerim, causam meam apud Te hoc in negotio partim Tua laude merito digna humanitas, partim vero conditionis meae difficultas agant, necesse est. At sat cito, si modo sat bene. Ecclesiae orthodoxae a Deo ter opt. max. in Bohemia et Moravia (vel Satana adversante, Antichristo furiente mundoque immundo recusante) plantatae atque purae ex ipsissimis Israhelis fontibus doctrinam de promptam profitentes, nec non disciplinam secundum verbi divini praescriptum observantes, dicuntur nunc procellis persecutionum (non quidem sine Dei omnium rerum summi moderatoris per missione, nec sine magna piorum utilitate nec denique sine hypocritarum ingenti . . .<sup>c</sup> cum conscientiae tum famae iactura excitarum) durantibus, mirum in modum turbari, multis in locis dissipari ac mille mortis periculis veritatis Christi causa exponi. Contra quas audivi nova edicta iterum Praegae a satellitibus consiliariis papanis et emissariis Antichristi Jesuitis esse iam conscripta. Expectatur igitur solum modo, dum imperator iisdem subscribat. O Deus, recordare tuae misericordiae atque tuarum caelo terraque firmiorum promissionum, tuere pusillum gregem tuum in hoc evanido mundi fallacis tabernaculo collocatum, infringe impios hostium conatus facque, ne quiescat virga reproborum super sortem iustorum, ut non etiam iustus pondere persecutionum victus extendat ad iniquitatem manum suam. Difficile enim sane est in adversis personam tueri.

Ungaria dicitur tota bello flagrare etiam nunc hieme saeviente. Ante tres aut

<sup>a</sup> Texte abimé, illisible.

<sup>b</sup> Idem.

<sup>c</sup> Idem.

[Adresse]: Reverendo ac doctissimo viro, domino Caspares Wasero, ministro verbi apud Tigurinos dignissimo, domino et amico, in Domino Jesu plurimum colendo, ad suas manus deferantur. — Tigurum.

quatuor menses sparsus fuit rumor Stephannum Boczkaium, principem Transylvaniae ac ducem militis rebellis pacem cum Caesarea Maiestate velle inire. At nunc de ea altum est silentium. Nudius quartus accepi literas ex Moravia, quibus affirmatur nullam spem pacis futurae esse in Ungaria et Moravia. Et quod Poczkaius quidem volebat foedus cum imperatore ferire verum cum 6 certis conditionibus, inter quas numeratur quoque libertas religionem exercendi, ut nimirum illa omnibus concedatur. Qui licet liberum religionis exercitium obtinisset, parum tamen id nostris vere et quo ad doctrinam et quo ad disciplinam reformatis ecclesiis prodesset. Namque Husitae et Lutherani in Bohemia Acephali existentes, multo insolentiores crudelioresque sunt adversus nostrates quam ipsimet papani, cum tamen scriptis nostrum utantur et iis destituti fiant (ut cum propheta loquar) canes muti. Baronem illum a Haisistein affirmatur cum honore ac furore extremum halitum efflavisse, qui ante triennium circa natalitia Christi domini (permissione Dei cinctus, mandato imperatoris instructus odioque adversus orthodoxos coetus a Satana per cuiusdam Flacciani fronte carentis instigationes uxorisque suae sollicitationes inflatus) nobis Neo-Boleslaviae<sup>1</sup> primo aedem clausit, claves sumsit, aliquot sigillis obsignavit, multis denique palis terrae illi infixis, omnes templi januas non quidem ex necessitate, sed ex impietate ad maiorem Dei eiusque ecclesiae contumeliam munivit. Cuius rei cum tristem spectatorem una cum aliis adstantibus ac largas lachrymas in terram fluentes, piasque preces in caelum ascendentes non sine fletu ac planctu fundentibus egissem, revocavi mihi in memoriam versum quintum psalmi 74. Nobilis habitus est eorum quisque, prout efferebat sursum contra implexa ligna securim, quem lugentibus tum adstantibus mulieribus idioma Bohemico recitare me memini. Deinde paucis diebus interpositis eripuit nobis quoque aedes, quas, cum nos ex iisdem omnes numero 20 personas expulisset atque exulare, hieme seaviente ante ipsum diem nativitatis Christi fecisset, coepit inhabitare, vineas, hortos, agros ac cetera sibi usurpare. At Deus iactum eius anchorae pervertit. Coactus enim fuit brevi missis eas facere, quae vacuae usque ad hodiernum diem manent ministris verbi pulsis ac dispersis. Solent enim in unis iisdemque aedibus decem aut plures concionatores una habitare, quorum alii sunt sacerdotes, alii vero diaconi. Puerorum autem magna saepe est frequentia, quos alunt gratis atque instituunt in vitae integritate et doctrinae puritate, quo aliquando, si Deus voluerit ipsisque benedixerit fiant quoque concionatores. Sed ecce, mi reverende domine pater, quo calamo mentem sequente digressus sum et quidem praeter meum propositum. Ideo ne mihi id vitio a Te detur, etiam atque etiam rogo. Ego enim consuevi simpliciter et sincere cum piis ministris Dei loqui. Studium theologicum hic Basileae Dei clementissimi beneficio floret. Faxit omnipotens ille, ut idem fiat in posterum.

Reverendus dominus doctor Grynaeus, hospes ac praeceptor meus multis nominibus honorandus, recte in sua senectute valet serviens Christo Domino in sancto ipsius coetu, omnibus mundi et carnis curis longe posthabitis. Similiter clarissimus dominus doctor Amandus Polanus, commensalis ac praeceptor meus omnis generis cultu dignissimus, secunda utitur, fruitur nunc valetudine, studiis suis quasi immersus. Quorum utrumque Deus clementer servet ad sui sanctissimi nominis

<sup>1</sup> Sur la fermeture, en 1602, de l'église de Mladá Boleslav, sur les terres de Joachim Hasištejský de Lobkovice, néo-uttrakviste d'orientation luthérienne, cf. F. Hrejsa, Česká konfese . . . , p. 388, et la lettre de Charles de Žerotín à Polanus (F. Dvorský, Dopisy, No 581).

gloriam nostramque tum sanctam aedificationem, tum salutarem ac piam consolationem. Thesium ab ornatissimo domino Polano propositarum et a me nudius tertius publice pro mea tenuitate defensorum, exemplar unum Tibi, observantiae testificandae ergo mitto. Quod restat, ne modum epistolae primae excedam, ecclesias nostras et simul vestras fluctibus turbulentissimi maris quassatas, vestris piis precibus commendo et ut me albo sui observantium atque veritatem Christi ex animo profitentium inseras eique insertum nunquam in reliquum ex eo deleas, maximo rogo opere.

Vale, vir honorande pancratice, vive nestoreis annos utereque halcioneis diebus nostri coram Jehova non immemor. Meus generosus a Budova iussit Te plurima salute impertiri, nec non eius dominus Ephorus. Familiam Tuam ne graveris verbis meis salutare, submisso obsecro. Dabam Basileae Rauracorum, in aedibus domini doctoris Johannis Jacobi Grynaei die IV. Nonarum Januarii calculo antiquo Anno fVge hInC aD Montes [1606].

Tuus

Simeon Müllerus Wernik Bohemus.

## 278.

1611, le 27 septembre. Mladá Boleslav.

*Mathieu Konečný, administrateur de l'Eglise de Mladá Boleslav, à Gaspard Waserus, Zurich: il le prie d'intercéder auprès du conseil municipal de Zurich pour qu'elle autorise J. Reuter, son boursier, de rester en Bohême au service de l'Union de Frères.*

Zurich, ZB. MS. 197a, No 244. Original autographe.

S. D. Licet ad totum vestrum clarissimum senatum nomine omnium seniorum ex communi consilio literas scripserim, tamen singulari erga te affectus, vir reverende, tum charitate, tum etiam confidentia rogo, sis author apud reliquum senatum, ne quod in laudem divini nominis et ecclesiae Christi propagationem petimus, petitque ipse quoque d. Reuterus,<sup>1</sup> denegetur. Puto enim multum hic posse tuam, clarissime vir, auctoritatem: non vos paenitebit olim, si id veniae ipsi dabit, ut nobiscum maneat. Nam quotiescunque considero providentiam divinam, cuius ductu ad nos (nihil tale cogitans ante biennium) pervenit et quam benigne Deus ipsum apud nos provexit laboresque ipsius benedixit, toties concludo recte ipsum hoc postulare, ut nobiscum maneat, recteque vos etiam facturos, si ipsius vocationem apud nos liberam permittatis. Quod patrimonium quoque, ut tu, vir clarissime, consilio uti possit, rogo. Etiam atque etiam vale. Dabam 27. Septembris Neoboleslaviae anno 1611.

Tuae Reverentiae observantissimus

Matthaeus Koneczius,<sup>2</sup>  
pastor Neoboleslaviensis et superintendens.

<sup>1</sup> Ulrich Jean Reuterus, boursier zurichois à Mladá Boleslav. Voir aussi No 257. Cf. F. Hrubý, Philippe Du Plessis-Mornay, p. 54.

<sup>2</sup> Mathieu Konečný (1572–1622), depuis 1608 évêque de l'Union et administrateur de l'église de Mladá Boleslav. Voir pour les détails J. Glücklich, Mandát proti bratřím, VKČSN, 1904.

1611, le 31 octobre. Herborn.

*Jean Ulrich-Reuter à Gaspard Waserus: en route vers son pays, il s'est arrêté à Herborn pour y remettre à l'imprimeur la « confession » que les Frères lui avaient confiée et pour y attendre que le danger de peste passe à Zurich. Il demande que sa famille lui envoie de l'argent pour le reste du voyage.*

Zurich, ZB. Coll. Simmler., MS. 162, fol. 63. Copie contemporaine.

Duae potissimum causae sunt, ob quas ex Bohemia in Germaniam me contuli: prior quidem, quod seniores ecclesiarum per Bohemiam, Poloniam et Moraviam (postquam nuper in synodo publice et solemniter in numerum ministrorum adscitus sum) Herbornam ablegarunt, ut ibi Confessionem<sup>1</sup> ipsorum praelis subjicerem; altera causa est, quod patriam invisere, patrimonium curare negotiumque illud, cuius mentionem faciunt seniores in literis, quas praemitto, ad felicem exitum (σῶς Ἡσῶ) perducere statui. Proposui equidem, sed Deus disposuit, nam hic aliquantulum morabor, usque dum tutior et defaecatior fiet apud vos aër. Age cum noverca mea, ut mihi stipendii assidui partem aut matrimonium transmittat. Herbornae ultima Octobris 1611.

[Joh. Ulrich Reuterus].

P. S. Literas patritii cuiusdam Pragensis ad Marcum Beumlerum<sup>2</sup> p. m. ad te mitto, ut colligas ex ipsis, quid de me sentiant Bohemi, quod fit ipso consentiente. Cultros hosce singularis amicus d. Crispinus in Moravia tradidit.

1612, le 22 mars. Zurich.

*Gaspard Waserus à Mathieu Konečný, Prague: quelque grand que soit le désir des Zurichois de satisfaire à la demande des Frères et de laisser au service de leur Eglise le jeune J. Reuter, ils ne peuvent pas le faire; la récente peste a ravagé les rangs du clergé zurichois, de sorte que les candidats compétents leur manquent.*

Zurich, ZB. Coll. Simmler., MS. 162, fol. 108. Brouillon.

Gratia et pax tibi a Deo patre per Christum ipsiusque Spiritum Amen. Probe reddidit Reuberus noster litteras vestras, vir clarissime, domine et frater colende, ex quibus clarissime perspeximus petitionem, qua eundem Reuterus ecclesiis vestris porro inservire posse desideratis. Verum nolim te ignorare tam honestae petitioni a nobis satisfieri hoc tempore non posse. Nam in communi clade nostra

<sup>1</sup> Sur l'impression de la Confession tchèque cf. F. Hrejsa, Česká konfese, p. 442 et 510.

<sup>2</sup> Marc Beumlerus (1555–1611), professeur du grec et de théologie. Avait étudié à Strasbourg sous J. Sturm. Auteur d'un Catéchisme très répandu.

[Ajouté d'écriture de l'époque]: Waserus notat quinquaginta florenos illo transmissos esse.

pestilentiali nupera tantam jacturam fecimus virorum bonorum et de ecclesia ac republica nostra meritorum, ut tum Reuteri opera, tum aliorum candidatorum, quos in exteris scholis sparsim habemus, impense nobis opus sit, quo vacantia hinc inde loca et in nostro territorio et in communibus praefecturis alibique rite digneque supleantur. Quod igitur vobis nec nos gratificari potuimus nec ipse potuit Reuterus, caeteroquin ad vos libentissime et sine mora rediturus et promissis satisfactorus, nisi aliter Deo et amplissimo nostro magistratui tam extrema necessitate, quae, ut nosti, legem non habet, visum fuisset. Id quidem pro comitate humanitateque vestra optimam in partem interpretabimini. Interim vobis gratias agimus quam maximas, quod dilectum illum nostrum clientem et alumnum tam benigne suscepistis, tam liberaliter aluistis, fovistis, ornastis et aliis beneficiis cumulastis, quae ille satis praedicare nequit. In hac autem egregia cum in universam nostram ecclesiam, tum in singulos eos, qui aliquando ad vos pervenire possent, moti eadem vestra beneficentia, quam expertus est Reuterus voluntate ut **constanter** perseveretis, etiam atque etiam oramus. Nos vicissim *καὶ ἐκ διαδοχῆς* omnia nostra studia, officia et beneficia, quae a nobis proficisci possunt, vobis vestrisque omnem in eventum promittimus large, Deum rogantes, ut vestris nostrisque ecclesiis in tam funesta facie terrarum et tot Antichristi machinis tam fraudulentis et cruentis prolixè benedicere velit. Cui nominatim te, mi clarissime Koneczni, medullitus commendo cum honoratissima tua familia rogans, ut favore et amore tuo me prosequi facias, quod spondeo de nostro me facturum saltem binis nundinis Francofurtensibus, *ἐάνπερ ἐπιτρέπη ὁ Θεός*. Officiosissime saluto tuos in Christo *συννεργούς*, d. Cyrum<sup>1</sup> et alios. Vale et ignosce brevitati. Prolixius enim reliqua intelliges ex literis amplissimi magistratus nostri et iis, quas dilectus collega meus d. Ernig,<sup>2</sup> pro tempore scholae rector, meus in illo officio successor, ad vos exaravit. Vale iterum *καὶ πολλάκις* 22. Martii 1612.

Reverendae Dignitatis Tuae observantissimus

Caspar Waserus,  
sacrae Theologiae professor.

P. S. Officiosissimam salutem adscribo nobilissimo viro d. Ottersdorf...<sup>3</sup> cui ante bimestre circiter...

## 281.

1614, le 31 juillet. Mladá Boleslav.

*Les Anciens des Eglises de Frères en Bohême et en Moravie aux supérieurs de l'Eglise de Genève: ayant été informés par Charles de Žerotín de leur intention de publier, dans le cadre d'une œuvre concernant les Eglises orthodoxes, aussi la confession de Frères, il se hâtent de donner leur autorisation: une telle publica-*

<sup>1</sup> Mathias Cyrus (1566—1618), Ancien de l'Union de Frères. Il avait étudié à Heidelberg et devint conseiller du prince Pierre Vok de Rožmberk et prêcheur à la Capelle de Bethléem à Prague.

<sup>2</sup> Ernig, administrateur de l'école de Zurich en 1612.

<sup>3</sup> Probablement Jean Théodore d'Ottersdorf, fils de Sixt d'Ottersdorf. Il étudia à Heidelberg et, en 1609, il était un des « défenseurs » (cf. F. H r e j s a, Česká konfese, p. 489).

[Ajouté en bas de la lettre]: Domino Mathiae Konecznio. Pragam.

*tion réaliserait l'ancien voeu de Théodore de Bèze. Ils envoient un exemplaire de cette confession et prient les Genevois de considérer l'Union de Frères qui jouit actuellement d'une paix générale, comme une sœur fidèle.*

Geneve, BPU. MS. 197<sup>aa</sup>, 1614—1617, fol. 27—28. Original.\*

Reverendi et clarissimi viri, cognovimus ex relatione magnifici domini d. Caroli a Zierotin, capitanei marchionatus Moraviae, quod in literis vestris ad M. eius scriptis, honestam et fraternam nostri mentionem nuper feceritis, significantes vos velle Harmoniam confessionum orthodoxarum<sup>1</sup> denuo in lucem edere et nostram quoque ultimo recognitam aliis orthodoxis confessionibus (si nobis ita videatur) adjungere, sicuti antea semel jam factum erat. Quam relationem gratis accepimus animis et Deum imprimis laudamus, quod Spiritu suo sanctam illam concordiam, quae nobis vobiscum et cum aliis ecclesiis Christi jam pridem comunis erat, in fide, doctrina et religione Christiana sincera hactenus in cordibus nostris servat et confirmat, ita ut merito illud ipsum, quod interne Deus operatur, etiam externe palam fiat, nobis et omnibus piis in aedificationem, adversariis autem nostris in testimonium. Quare quoad nostram confessionem, non tantum permittimus, sed omnino rogamus, ut illa aliis orthodoxis confessionibus inseratur. Cujus exemplar postremo recognitum una cum hisce literis mittimus. Atque ita videmus promissionem piae memoriae d. Bezae impletum iri, qui ante primam editionem Harmoniae nostris scripserat praedecessoribus, si voluissent nostri aliquid emendare in sua confessione et propter temporis angustiam hoc praestare non possent, alio tempore in secunda editione eiusdem Harmoniae id fieri posse. Agimus vero vobis gratias, reverendi viri, quod nostri sancte memores sitis. Et petimus, ut in posterum quoque nos pro fratribus agnoscatis et diligatis, nos nostrasque ecclesias precibus vestris Deo commendetis. Licet enim nunc (Deo sit aeterna laus) in pace sint ecclesiae nostrae, tum in Bohemiae regno et marchionatu Moravico, tum in utraque Polonia et in Borussia, tamen hostes Dei veritatesque ejus non cessant moliri consilia impia ad turbendam pacem communem tum politicam, quam ecclesiasticam et ad dirimendum consensum Boemicum in religione, libertatemque publice concessam serviendi Deo enervandam. Juvate igitur nos precibus vestris; eundemque affectum erga vos nostrum esse et in posterum fore certo, de nobis persuasum habeatis.

Valete optime, fratres in Christo charissimi et plurimum honorandi. Deus vos vestrasque ecclesias in veritate sua servet, in pace custodiat et ab omni malo protegat. Dabantur in Carmelo Neoboleslaviensi, ultima Julii, stylo novo anno 1614.

Seniores ecclesiarum Boemicarum et  
Moravicarum secundum confessionem  
fratrum orthodoxorum.

<sup>1</sup> Sur la première édition des Harmonies et sur l'attitude que l'Union adopta à leur égard, il parle dans sa lettre « Neustadeni doctores et pastores ad ministros Genevensis ecclesiae » en date du 27 juin 1581 (voir J. Glücklich, *O cestě . . .*, p. 52).

[Adresse]: Reverendis, clarissimis et doctissimis viris, antistitibus, pastoribus et ministris ecclesiae Genevensis, amicis et fratribus in Christo Jesu charissimis plurimumque observandis. — Genevam.



## 2. APRÈS LA MONTAGNE BLANCHE, À L'ÉPOQUE DE L'EXIL

(J. Abdon, J. Breitinger, J. A. Comenius, J. Christian, duc de Brzeg,  
les Eglises réformées polonaises)

282.

1633, le 3 avril. Brzeg.

*Jean Christian, duc de Legnica et de Brzeg, aux Eglises coreligionnaires de l'Occident: il recommande à leur bienveillance les représentants des Frères émigrés de Bohême et de Moravie qui sont dans l'indigence à cause de leur exil et des guerres prolongées.*

Zurich, ZB. Coll. Simmler., MS. 171, No 75, 8. Imprimé de l'époque.

Johannes Christianus Dei gratia dux Silesiae, Liegnicensis et Bregensis, omnibus benevolentiam et salutem.<sup>1</sup>

A primis apostolorum temporibus semper fuit ea ecclesiae Domini nostri Jesu Christi sors et conditio, ut sub cruce militaret et variis calamitatibus premeretur, imprimis autem persecutionibus obnoxia esset et vix tutum in mundo uspiam aut fixum domicilium reperiret, ut in hanc rem non historiae fidem adducere, sed ipsam experientiam testem vocare omnibus hodie liceat, quibus contritio Josephi cordi est. Diuturna, quae hactenus Germaniam nostram exercuit miseria, exemplis abundat et nos quoque non sine ingenti animi maerore vidimus in his provinciis et vicina Bohemia et Moravia magno numero agminatim emigrantes exules, qui puram evangelii de Jesu Christo unico Servatore nostro fidem professi, hominum traditis conscientiam suam contaminare erubuerunt, quos etiam qua debuimus et potuimus benevolentia accepimus et iisdem, ut sedes suas in territorio nostro locarent, benigne concessimus. Cum vero ex eorum numero senioribus et pastoribus, quibus cura ecclesiae per Poloniam et Silesiam dispersae commissa est, viri pietate et doctrina praestantes ad paupertatem exulum porro sublevandam sumptus non suppetant, patroni etiam, quorum auxilio et opera proximo hoc decennio et quod excurrit usi sunt, partim exilio diuturno, partim temporis iniuria omnibus bonis exuti deficiant, nostrates vero longa belli calamitate fracti sibi ipsis vix sufficient, propterea iidem paupertati futurae prospecturi, prudenti et maturo consilio exterarum quoque ecclesiarum auxilia per legatos viros pios et probos in hanc rem advocare constituerunt, nostramque auctoritatem et operam hanc ob causam suppliciter implorare non destiterunt. Ideo illorum precibus

<sup>1</sup> Jean Christian, duc de Legnica, un des premiers princes protestants en Silésie. Dans la deuxième décennie du 17<sup>e</sup> siècle, il se convertit au calvinisme et, avec Jean Georges Krnovský, il se fit champion de la politique dirigée contre les Habsbourgs. Il entretenait des relations suivies avec Charles de Žerotín qui avait pour lui beaucoup d'estime. En 1628, il proposa à Žerotín de choisir la résidence sur ses terres (F. H r u b ý, Mor. korespondence II, p. 145, 267 et autres).

desse nolentes publico hoc testimonio pietatem et probitatem ornare vestramque omnium illorum nomine charitatem appellare volumus, certa spe freti, fore ut erga haec afflictissimae ecclesiae membra, quae sub eodem capite Domini nostri Jesu Christi nobiscum militant, misericordia moti inopiam illorum copia vestra sublevetis. Ita fiet, ut vicissim omnis gratia in vos abundet potentis Dei manu et in omnibus omni tempore omne, quod sufficiat, habentes exundetis ad omne opus bonum. In cuius rei fidem diploma hoc manus nostrae subscriptione et sigillo nostro ducali muniri curavimus. Dabantur Bregae 3. Nonas Aprilis anno 1633.<sup>2</sup>

Johannes Christianus.

### 283.

1633, le 5 mai. Leszno.

*Lettre de créance, établie par les Anciens des Eglises de Bohême et de Moravie installées en Pologne et en Hongrie, pour les Frères Jean Abdon et Paul Strážkovský, envoyés auprès des Eglises coreligionnaires de Suisse avec la prière de soulager les exilés dans leur profonde indigence.*

Zurich, ZB. Coll. Simmler., MS. 171, No 75b. Imprimé de l'époque.

Evangelicarum rerumpublicarum ecclesiarumque per Helvetiam magistratibus amplissimis, antistitibus dignissimis, ut et quibuscunque ibidem locorum hasce lectoris:

Salutem per Christum nostraque cum precibus studia. Quae nuperis jam annis Bohemiae primum incumbere coepit nubes atque nimbo quodam papanae persecutionis invecto, ex eadem exturbavit cum evangelii ministros, tum alios plerisque eantem veritatem sincerius constantiusque profitentes: eadem postea adeo protolli alte diffundique late visa est, non in vicinas modo eidemque regno adjunctas provincias, sed et complures longius dissitas, ut ultra omnes et montes et insulas Europaeas haud dubie spectari potuerit. Eam ob causam nobis<sup>a</sup> necessarium videtur, ut apud vos, amplissimi reverendissimique viri aut cuiuscunque conditionis tandem sitis in Helvetia, seorsim hic edisseramus originem calamitatis eius, quae nos hodie gravissime exercet. Nos scilicet, qui iam ante decennium et quod excurrit, profligati fuimus e patria nostra, aliqui cum docendi munere fungeremur de stationibus nostris dejecti, aliqui cum possessionibus et facultatibus abundaremus, iisdem exhausti et privati, plerique omnes ejusmodi artibus [fuimus] delusi, ut quum demigrantibus pacisci liceret, de debitis porro obtinendis vel pretio pro venditis bonis post hac reportando, frustra postea fuerimus, dum quicquam isto nomine postulavimus, imo male tutum extiterit quibusdam

<sup>2</sup> Dans le cadre de cette vaste campagne de secours, les représentants de l'Union de Frères s'adressèrent, en 1633, aussi à Brême (cf. A. Schmidt Mayer, Bremen als „Herberge der Kirche“ im 17. und 18. Jahrhundert, MVGD, vol. 34). Très intéressantes dans ce sens sont aussi les notes de J. J. Breitinger sur d'autres collectes au bénéfice des exilés tchèques; ainsi le 24 août 1631 sur la collecte des frères Adam, Guillaume et Charles Leonhard de Meienberg; le 21 juillet 1633 sur la collecte organisée sur l'initiative de Jean Christian, voir le présent document, et d'autres. — (Berne, BB, Sign. E II, 279, p. 147, 159, 191, 203, 206 etc.). Voir aussi Spisy J. A. Komenského, Ohlášení, p. 55.

ex isto pacto aliquid quaesivisse. Quae res cum inopinatas haud paucis difficultates a multo jam tempore facessiverit, spe tamen ista usque se solati iidem fuere, fore non ita longis posthinc temporibus, ut bonitas et veritas sibi invicem rursus occurrant, justitia et pax se mutuo osculentur, fides e terra progerminet et justitia e coelis prospiciat. Nos quidem, qui coetui sic in exilium abacto antistites ut antehac fuimus, ita nec in exilio esse desiimus, nubeculam hanc citius etiam transituram nobis imaginabamur, eaque spe plerosque omnes, qui ad nos attinent, ita continuimus, ut praesentibus et qualitercunque suppentibus facultatibus sic interim non se tantum sustinuerint sed et pauperioribus aliis alii, qui poterant, in subsidium venerint. At spes ea libertatis recuperandae bonorumque inique ademptorum per post liminium aliquod iterum adeundorum dum usque nunc protelatur justo Dei judicio et haud pauci inopias etiam interim redacti sic sunt, non verbi divini ministri tantum prae aliis sine subsidio fere in exilium exturbati, sed alii complures etiam viri probi bonique, viduae, orphani, viri etiam inter eosdem illustris prosapiae non nulli, complures ordinis equestris apud nos fere, qui seniorum ecclesiasticorum partim, partim politicorum munere defungimur, urgenter nunc instatur, uti de subsidio aliquo alicunde impetrando consilium ineamus. Non patuit ergo via nobis tandem alia, quam ut apostolorum more ageremus atque, dum illi qui suo hactenus hospitio dignati sunt et pro facultatibus etiam benevolentia quadam nos sublevarunt, sufficere egestatibus nostris amplius nequeunt, externos, qui possent et velle sperarentur, audiremus. Tales autem quum esse vix alios arbitremur, quam qui nos tamquam sub eodem capite secum constitutos pro membris etiam corporis eiusdem mystici agnoscant, tum vero de rebuspublicis atque ecclesiis vestris spem singularem plane concepimus, fore ut non alibi uspiam commiserationem aequae promptam ac vos et per vos inventuri simus. Induxerunt nos ei spei et honorificentissima superioris seculi testimonia, quae summi quidam ecclesiarum vobis vicinarum antistites de vestris coetibus posteritati reliquere, et jucundissima eorum commemoratio, qui vobiscum vel proximis nuper annis vixere ex nostris, vel ex vestris ad nos accessere. Itaque, qui nostro nomine hoc coram apud vos, viri christianissimi, christiane quaerent, emisimus ex nostris viros duos istos, rever. Fr. Johannem Abdonem<sup>1</sup> v. D. ministrum et ex civico ordine honestum Paulum Straskowium<sup>2</sup> harum exhibitores, quos ut satis scimus necessitates nostras communes fideliter curaturos, ita fidem iisdem apud vos tuto adhiberi posse, hoc quoque scripto nostro juxta testari voluimus. De indigentia nostra ne ipsi nobis testes simus, testabuntur satis ducales e Silesia literae, testabuntur ill<sup>mi</sup> palatini Belsensis ordinisque equestris evangelici e Polonia aliae, quamvis ipsa exilii diuturnitas, ipsa exulum per Poloniam et Ungariam ex nobis dispersorum, sed hactenus conspiratione christiana usque conjunctorum numerositas argumento sufficienti esse possit apud probioris animi homines, quales vos quidem esse et testatissimum nobis est et persuasissimum. Saltem id nunc cogitate, viri pientissimi atque faventissimi, dum nostras has legitis, dum

<sup>1</sup> Jean Abdon (mort en 1652), gouverneur des frères Linhart de Najemperk (Meienberg) pendant leur séjour à l'école de Görlitz (K. Hrdina, Les Tchèques au gymnasium de Görlitz, Mélanges J. V. Šimák — Přátelův čl. starožitností svému učiteli prof. J. V. Šimákovi k jeho šedesátinám. Prague 1930, p. 91). Plus tard, il devint prêtre de l'Union en Moravie. Après la Montagne Blanche, il partit en exil pour Leszno. Son fils étudiait à Leyde (cf. J. Bidlo, nécrologie de la branche polonaise de l'Union de Frères, VKČSN 1897; O. Odložilík, Les Frères en Slovaquie, ČMM 1931, p. 22 et suiv.).

<sup>2</sup> Paul Strascovius, prêtre de l'Union en Moravie; à Leszno après la Montagne Blanche.

<sup>a</sup> Dans l'original, il y a par erreur « nec » au lieu de « nobis ».

duos istos e nobis viros videtis opis vestrae imploratores, eos desiderare et expetiscere suppetias a vobis, qui in eodem corpore mystico vobiscum Paulina declaratione haberi possunt, alii pro oculis, alii pro manibus, alii pro pedibus, Christum igitur ipsum putate sic oculos quosdam suos dolentes ad vos sustollere, manus indigas ad vos protendere, pedes veluti quassatos aut laxatos exhibere spectandos, ut commisereamini. Quodsi abjectiora et contemtiora quaedam membra esse ex istis, quorum nomine sollicitamini, censeri possunt, nostis tamen, quid illis quoque honoris debeatur ex apostoli monito, ut ne oculos tenerius habendos esse addamus, manusque indigas non frustrandas. Et quae a vobis subministrabitur nobis elemosyna, tota dispensabitur ea prudentia, ut singuli vobis gratias ex nobis debituri sint ministrorum v. D. plusquam centum, aliorum ope tali indigentium circiter quater mille, quos inter viduae orphanique sint complures, nonnulli etiam natalium et conditionis antehac ejusmodi, ut vix credibile videri queat ad sortem tam miserabilem eos tam subito praecipitari potuisse, vel in ea etiam a cognatis relinqui, nisi solum religionis odium et antichristi spiritus vel ipsam naturalem affectionem extinguere posset. Quin omnium eorum gratiis et precibus ita in rationes apud Christum certo transcribetur haec vestra liberalitas, ut velut ex tabulis pronuntiaturus sit de vobis nominatim extremo illo in iudicio, quod testatur se dicturum in amplissimo illo comitio de iis, qui minimis suorum fidelium praestiterint quicquam eorum, quibus indigere homines solent, hoc est, ut eos vel cibarent esurientes, vel potionarent sitientes, vel vestierint investes ac nudos, vel visitarint aegrotos ac longuentes, vel in domicilium suum deduxerint hospitio carentes. Sane et vos ut caetera ista omnia Christo nunc praestabitis in nobis, ita et hospitio ipsi vestro eundem velut excipietis, si subsidio vestro nobis non defueritis, dum rarissimis inter nos ita nunc contingit frui hospitio, ut idem non sit *μίσθωμα* seu conductum. Scimus vos esse eos, qui diligi a Deo expetant, adeoque nec dubitamus hilares in eo vos fore, quod necessitate ita urgente petimus, nobis nempe ut detur, alias id optantibus potius, quod Christus dixit esse beatium, nempe ut dare ipsi possimus, quam ut accipere necesse haberemus. Deus autem noster impleat vicissim *πᾶσαν χρεῖαν ὑμῶν* secundum divitias suas cum gloria per Christum Jesum. Dabantur Lessnae Polonorum 5. Maii anno 1633.

V. V. V. V. Amplitudinum et reverendissimarum dignitatum observantissimi studiosissimique

Seniores Fratrum unitatis ex Bohemia et Moravia  
propter evangelium Christi per Poloniam et  
Hungariam dispersorum.

284.

1633, le 16 février. Cracovie.

*Les représentants des Eglises réformées polonaises, réunis au concile général de Cracovie, témoignent que les députés des Eglises de Frères, exilées de Bohême et de Moravie, envoyés en Europe occidentale pour quêter les aumônes, sont dignes de toute assistance chrétienne étant représentants de ceux qui, pour leur religion,*

*ont tout abandonné dans leur patrie et souffrent de misère à cause de l'exil prolongé.*

Zurich, ZB. Coll. Simmler., MS. 171, No 75, 8. Imprimé de l'époque.

Reproduit dans J. Lukaszewicz, O koscíólach braci czeskich w dawnej Wielkiej Polsce. Posenie 1835, p. 196—198.

Omnibus haec lecturis salutem. Etsi Dominus et Servator noster Jesus Christus ita a sapientia et potentia instructus est, ut expedita semper ipsi ratio sit vel momento compescendorum fluctuum, qui saepe plusquam decumani pulsant veritatis divinae professores, fit tamen hoc saepenumero, ut in fluctuantis suae naviculae puppi somnum simulet et quasi sui suorumque oblitus non videatur curare, quid illis fiat, qui lembo illo vehantur. Quo ipso quemadmodum insigne documentum praebet eius, quod regnum suum etiam hac parte non sit de mundo hoc, cum culpa non vacet imperator, qui suos sciens, volens in discrimen adduxerit, aut adductos, si possit, sine mora non servavit, ita et suorum fidem in se probat et aliorum quoque, quos pro suo arbitrio ista tempestate jactari non vult, charitatem in laborantes naufragosque explorat. Certe enim nisi impacta navi, infixata prora, puppi vi undarum soluta Paulus juxta cum aliis Melitam fuisset appulsus, nec barbari occasionem habuissent explicandae suae humanitatis, nec divinus scriptor eiusdem cum immortalis elogio ad posteros trasmittendae. Igitur nos quoque, a quo tempore vicinae nobis Bohemiae et adjunctis illi sive jure regni sive fidei orthodoxae vinculo provinciis saevissimi turbines, furente Romano acola [?] incubuerunt, omnem operam dedimus, ut qui ex isto mari conscientiae servandae tabulis vecti ad nos evaserunt, benevole a nobis exciperentur et accensa quasi charitatis Christianae pyra foverentur. Quod vero numerus naufragorum totum jam et quod excurrit decennium tempestate saeviente multum in modum auctus est (nam ad quater mille diversis in locis, quos inter nonnulli ex illustribus familiis et supra centum verbi ministri numerantur) ut ab una pyra, quam nos tum Lesnae, tum alibi succendimus, incalescere singuli satis non possint, facile perspexerunt Fratrum orthodoxae confessionis e Bohemia et Moravia antistites ita sese benevolentia frui utique debere, ut tamen eius adversum se exercendae viam pudore inutili aliis porro non intercluderent. Itaque consilio in eam rem instituto visum est legere certos quosdam spectatae fidei integritatisque homines, qui eos adirent, quos orthodoxa fides orbi Christiano commendat atque ibi sarmenta veluti colligerent, quibus pyrae illi nostrae impositis aliquid alimenti charitatis igni accederet ipsique calorem acciperent, quo sese munirent contra usque imminentem exilii imbrem, frigusque adversitatum, quibuscum exilium non solet non esse conjunctum. Sed quia mali etiam et inertes saepe a professione exilii pro stipe impetranda argumentum sumunt, ut eius de se suspicionis concipiendae ansam omnem praeciderent, id sibi agendum arbitrati sunt, ut qui abituri essent, subsidiumque petituri nomine totius Unitatis fratrum bohemos orthodoxae confessionis, non abirent nisi literis a nobis instructi, quibus fidem faceremus conditioni ipsorum non sua aliqua temeritate aut culpa, sed solo conscientiae illibatae servandae studio longe afflictissimae. Igitur quicumque has literas nostras oculis usurpabitis, ubi easdem sigillis nostris et manuum subscriptione munitas videritis, credite nihil hic fingi fallive, sed omnino et eos, qui petunt et quorum nomine petunt, esse homines non indignos tantum vestrae gratiae, benevolentiae, amoris, ut quibus tanta exilii diuturnitate, quicquid reliquum erat de vitae tolerandae subsidiis, omne nunc absumptum est, sed dignos quoque, quippe

ct. apost.  
27, 41

qui ita obstinate Servatorem suum diligant, ut eius causa fortunas, honores, charitates suas, ipsam vitam vilefacere non recusent. Si benevole eos exceperitis, praeterquam quod elogio ornabimini non neglectae apostolicae monitionis, qua iubemur necessitatibus sanctorum communicare et operari bonum, cum erga omnes, tum vero maxime erga domesticos fidei etiam illam laudem obtinebitis, quae immortalitati consecravit primatem insulae Melitae Publicum, quae mori vetat eiusdem incolas, qui solventibus leguntur imposuisse, quae erant necessaria, quae ab oblivione vindicat discipulos Antiochenos, qui subsidium pro fratribus in Iudea habitantibus ad seniores per Bernabam et Saulum mittebant. Statuite Christum adesse, qui in deserto exilii esuriat, qui ex itinere adversitatum ad fontes vestros sedeat rogetque velit dare, quod bibat. Cogitate, quam elegans, quam certa, quam honorifica faenerandi sit ratio, cum homo pios egenos fovendo Christo credit, Christus homini debet. Cujus misericordiae vos omnes aequae fervide ut fratres hos charitati vestrae commendamus. Datum Cracoviae in comitiis generalibus Coronationis die 16. Februarii anno 1633.

Raphael comes de Lessno  
Palat. Belzensis

Andreas Rey de Naglowice,<sup>1</sup> ser<sup>m</sup> Poloniae et Sueciae regis camerarius nomine omnium evangelicorum ordinis equestris Cracoviae sub tempus coronationis congregatorum ex consensu eorundem subscribo.

Johannes Schlichtink de Bukowiec  
supremus iudex terrestris  
Wschovensis, ecclesiae autem  
Lessnensis senior secularis.<sup>a</sup>

Albertus Bojanowski de Parkas etc.  
eccl. Lessnensis senior secularis m. p.

## 285.

1633, le 5 mai. Leszno.

*Les Anciens des Eglises de Frères, exilés pour leur religion de Bohême et de Moravie en Pologne, à J. Breitinger,<sup>1</sup> supérieur de l'Eglise de Zurich: Ils recommandent leurs députés qu'ils envoient en Suisse pour qu'ils y sollicitent de l'aide pour les Frères pâtissant de l'exil prolongé.*

Zurich, StA. Sign. E. II. 400, p. 62—63. Original avec les signatures autographes.\*

<sup>1</sup> André Rej de Naglowic, protecteur de l'Union de Frères, ami de Charles de Žerotín (voir F. Hrubý, Philippe Du Plessis-Mornay...), auquel il proposait avec empressement le refuge sur ses terres, après 1628. Cf. aussi O. Odložilík, Georges et Jean Veselský-Laetus, exilés moraves, ČMM 1930, p. 79 et suiv.

<sup>a</sup> Reproduit dans J. Lukaszewicz, O kościółach braci czeskich w dawnej Wielkiej Polsce..., Poznań 1835, p. 196—198, note.

<sup>1</sup> Jean Jacques Breitinger (1575—1645), supérieur de l'Eglise de Zurich; avait étudié à Herborn, à Marburg, à Heidelberg et à Bâle.

Quae nos persecutio ex Bohemia adjunctisque provinciis profligavit superioribus annis, ea in facultates nostras ac possessiones plerorumque tantum quidem valuit, ut iis hodie careamus: at tantum tamen non valuit in animos Christo sincere addictos, ut coetus hodieque sacer aliquis non supersit, quamvis ille varie per Poloniam Hungariamque et Silesiae confinia dispersus, cui nos usque praesumus, tanquam Seniores. Atque Deum coetum, ut hactenus qua sacra, qua profana seu βιωτικὰ spectantur, ita moderati sumus, ut perseverarit etiam in exilio esse legum Christianarum observans. Tum vero vel eo solatio non parum usque statuminavimus, quod Dominus Jesus, suam illam indolem, quam olim professus legitur in terris, cum ad triduum commoratum apud se in deserto plebeculam videret ferme defecturam, nec jam in caelis deposuerit, ut jam ex iisdem de exultantibus nobis per tot nunc annos pronuntiare illud videri debeat: Intime miseret me turbae, propterea quod jam non triduum, sed decennium etiam aliqui perseverant apud me, et non habent quod edant; et dimittere eos jejunos nolo, ne quando deficiant in via.

In istum igitur Dominum nostrum in caelis intuentes, meliora brevi tempora sperare nos usque posse affirmavimus: quippe quod Dominus ille noster non caput sit tantum corporis sui, quod curet sollicitate et foveat, sed quod et idem Rex sit Regum, ac Dominus Dominorum, ut corda Regum flectere queat facile, quo velit, modos praeterea infinitos habeat perspectos auxiliandi iis etiam, qui vel desertissimi videantur coram toto mundo.

Ea ratione impetravimus apud plerosque, ut quibus reliquerat aliquod vitae subsidium fugatio illa Antichristiana, illi caeteris, quibus omne illud ademptum erat, vel iam absumptum, in subsidium hactenus venerint. Sed nunc postquam tot interim anni, quos in exilio plusquam decem plerique agimus, praeterlapsi sunt, id evenit tandem et calamitati nostrae accessit, ut et spes illa postliminii et reditus in patriam sequuturi, quae prope omnium animis hucusque inhaesit, exspirasse fere universa videatur et ipsa quoque subsidia vitae illa apud numerum multo maximum exhausta sint. Itaque ad nos, qui in eadem tamen navi haeremus eademque pauperiem sentimus, certatim itum est pridem, ut egentibus tot Verbi Ministris, tot viris bonis aliis, tot viduis, tot orphanis (quorum in coetu nostro est numerus vel illi compar, qui plebeculae Christum in desertum comitatae assignatur), consulamus prospiciamusque de necessariis vitae suppetiis.

Quamvis autem apostolorum exemplo hic agere nos posse pridem viderimus, ut pro egestoso hoc coetu Ecclesiarum exterarum opem sollicitaremus, maluimus tamen ante extremam in haut paucis inopiam spectare, quam istud admittere, ut videremur exteris ullibi esse temere molesti. Sed tandem vel ipsi illi patroni, quos in his provinciis invenimus, Dei beneficio cum viderent, quae necessitates nostrae forent neque tamen iis mederi per se scirent, instigatores nobis esse voluerunt, ut ne nobis coetibusque nostris diutius ipsi deessemus, sed auderemus efflagitare alibi, quod hic non reperiamus.

Quin sua etiam attestazione et commendatione quasi ultro studuerunt esse nobis praesto: ut ne possint exteri seu indigentiam nostram in dubium vocare, seu indignos nos forsitan, qui juvemur, opinari.

Eapropter emisimus tandem ad Vestras Respublicas et Ecclesias, ex nobis viros duos istos, qui pro fide, qua se nobis dudum probarunt, rem eam curarent: quos peculiaribus etiam literis ad Respublicas et Ecclesias isthic locorum Evangelicas et Orthodoxas instruximus. Censuimus autem et totam hanc causam et duos istos Tibi, vir clarissime atque pientissime, seorsim commendandos, tum quod affectu

eo Te esse sciamus, qui in ipso CHRISTO olim se prodidit, ad commiserendum nempe promptissimo, tum quod auctoritate Tua effectum eum promittamus apud coetum vestrum, qui coetui nostro miserabili hoc rerum statu necessarius est maxime, nempe ut liberali quadam eleemosyna juvemur.

Pientissimum pectus tuum, vir clarissime, ita est nobis descriptum, vel ab eo ipso fratre nostro, quem ablegavimus ad Vos, JOANNE ABDONE, ut nullis opus esse censeamus argumentis ad illud pro nostrae causae studio inclinandum. Quocirca praetermisso eo, quod discipulos Christi olim promovebat, ut pro Cananaea intercederent, cum dimitti eam nempe adjutam peterent, quia vociferaretur post illos, hoc unum addimus, ut nobis ad Vestros homines alias clamare nescientibus, Tu cum collegis Tuis reverendis, quos singulos officiosissima quoque salute compellamus, clamore quodam tuo prodesse digneris, quo eos excites, qui possunt auxilio esse miseris, ut idem quoque hilariter velint. Quo major est numerus eorum, qui ope ista adjutari desiderant, eo gloriosius erit encomium illud, quod Christus in decretorio illo die rependet sigillatim hominibus in sua membra, etiam minima, beneficis. Te quidem, vir excellentissime, tanquam ex stellis illis praecipuam unam, quas dextera sua tenere legitur, qui in medio candelabrorum cum ineffabili majestate obambulare Johanni visus est, vel hac etiam de causa servabit ipse perpetuo et ita confirmabit, ut coronam tuam nemo rapiat. Atque id ut faciat, iterumque nos vovemus et cum coetu universo nostro semper devotissime precabimur. Dabamus Lessnae Poloniae 5. Maii anno 1633.

R. D. Tuae in Domino addictissimi:<sup>2</sup>

Georgius Erastus, Senior Moraviae,

Matthias Procopius, Boh. Sen.,

Johan-Amos Comenius, M. Sen.,

Paulus Fabricius, Boh. Sen.,

Johannes Hermon, Consen.,

Wenceslaus Locharius, }

Johannes Laurentius, } Conseniores.<sup>3</sup>

Petrus Cephas, }

## 286.

1633, le 5 mai. Leszno.

*Les Anciens des Eglises de Frères, exilés pour la religion de Bohême et de Moravie en Pologne, à Théodore Zwinger,<sup>1</sup> supérieur de l'Eglise de Bâle: ils recommandent leurs députés qu'ils envoient en Suisse pour qu'ils y cherchent de l'aide pour les Frères souffrant de l'exil prolongé.*

Bâle, ÖBdU. MS. G<sup>2</sup>. II. 8, fol. 27—28; [MS. Prey.-Gryn. II, 25, 98]. Copie ancienne.\*

<sup>2</sup> Cf. aussi avec les signatures figurant sur la lettre de 1629: en dehors de Pierre Cephas, toutes les personnes ayant signé la présente lettre y figurent (voir F. Hrubý, La supplique que 36 prêtres bohémiens et moraves adressèrent, en 1629, au prince Radziwilla, ČCH 1932, p. 109). Sur Komenský voir J. Polišenský, Komenský et son époque, HS I, 1953, p. 227; sur le sort des autres, voir F. Hrubý, Mor. korespondence I, p. 538.

<sup>3</sup> La lettre est reproduite en partie dans L. Lukaszewicz, O kosciołach..., p. 192—196, note, où on trouve aussi le témoignage du comte Leszczyński, d'O. Rey et d'autres (le 16 février 1633, Cracovie).

<sup>4</sup> Voir No 255/2. Cf. l'Introduction p. 18 et 31.



Reverende, excellentissime doctissimeque vir, domine et frater in Christo fa-  
 ventissime plurimumque observande. Postquam ita Regum Regi, qui in coelis  
 perpetuo nobis praesidet, visum est, ut antichristianae factioni hoc permetteret,  
 quo ex Bohemia adjunctisque provinciis exturbarentur illi, qui evangelio Christi  
 sanctius credunt et adhaerent, tanta est quidem coetuum, ante isthic florentium,  
 dissipatio facta, ut humanitus actum videretur de iis, neque sperari fere posset  
 ullum unquam quasi sceleton eorundem superfuturum. Nihilominus id nobis cu-  
 randum spectandumque putavimus, qui coetus ejus *ἐπικοσπήν* conceditam ha-  
 bemus, ut quoquo locorum tandem dispergeremur, aliqua tamen facies pristinorum  
 illorum coetuum inter nos supereset. Nec defuit nostris istis conatibus coelestis  
 gratia, quae illud nobis clementer largita est, ut ubi receptus aliquis nobis patuit  
 in Polonia simul et Hungaria vicinisque Silesiae confiniis, egerimus usque fere  
 singula etiamnum in mystica illa Dei domo inter nos ex pristinis eccleriarum  
 nostrarum legibus et statutis, utut conditionibus pristinis privati, a subsidiis  
 etiam humanis in annos vix paucos, pauciores instructi. Atque dum quidem  
 antehac spes allucere subinde visa est postliminii et reditus laeti in patriam brevi  
 sequuturi, facile illos quoque permovimus, qui pleniore manu in exilium ierant,  
 ut suppetiis suis non deessent iis, qui vel vacua prorsus manu abierant, vel  
 quibus excussum velut de manu fuit, quicquid per divinam benedictionem in  
 eadem habere, cum cogerentur exulare, videbantur. Nunc autem, dum spes illa  
 velut universa evanescere videtur, atque ipsi, qui abundabant ante, sua ista obse-  
 quiosa liberalitate exhaustos se per tot nunc annos sentiunt, nihil aequae nos angit,  
 quam ne ob *βιωτικῶν* defectum exspiret dispersa ecclesia, quae hactenus  
*πνευματικῶν* suffectu nihildum destituitur. Suaserunt ergo commodum vel ipsi,  
 sub quibus hucusque vivimus, patroni, ut cum per se esse nobis sufficienti adju-  
 mento non possint, externos imploraremur, fidei communis vinculo nobis adjunctos:  
 suaque ad eosdem commendatione et attestazione praesto esse lubentes nobis  
 voluere. Itaque a via hac sublevandae nostrae indigentiae tandem nec ipsi ab-  
 horruimus, urgente praesertim in plurimis aliquandiu etiam jam spectata egestate,  
 cum et apostolos ipsos aliter non egisse, ubi ecclesias in Judaea fames exerce-  
 ret, meminerimus. Duos autem viros istos ex nobis, probae satis notaeque fidei ad  
 vos emisimus, qui necessitates eas nostras, qua possent diligentia curarent. Eos-  
 demque tibi, vir excellentissime, sigillatim commendandos duximus, uti et totam  
 hanc causam nostram, quam ex illustrissimorum virorum testimoniis, nobis porro  
 tacentibus, agnosces esse non indignam, quae curae cordique sit illis, qui sunt  
*συγκληρόνομοι, σύσσωμοι καὶ συμμετοχοὶ τῆς ἐπαγγελίας Θεοῦ τῆς ἐν τῷ Χριστῷ,*  
 utut regionibus alias inter se dissociatissimi existant. Tu vir pientissime pariter  
 ac clarissime, qua polles auctoritate apud Basilienses vestros, apud cives pariter  
 et magistratus, non dedignaberis cum reverendis clarissimisque dominis collegis  
 tuis (quos hoc nomine per Te cum salute officiosissima fraterne compellatos  
 quoque cupimus) nostri causa, seu publice seu privatim id fieri opus censes,  
 monere id, quod, qui *στῦλοι* videbantur, Jacobus, Cephas et Johannes, unum  
 monuisse Paulum Barnabamque, cum Hierosolimis ipsos visitassent, expressis  
 verbis voluerunt, nempe ut pauperum memores essent. Est civitatis vestrae ea  
 laus ex toto, cuius meminisse possumus seculo, ut cum aliis modis pluribus, tum  
 vero caritate in exules singulari semper fuerit inclita. Hanc laudem, scimus,  
 non patietur ea sibi in nostra hac calamitate imminui, quum noverit probe haud  
 temere in Apocalypsi de Ephesiis praetermissa voce, de reliquis fere addita  
*ὀλίγα ἔχω κατὰ σοῦ, ὅτι τὴν ἀγάπην σοῦ τὴν πρώτην ἀφήκας.* Si quo tamen monitu

vestro opus fuerit, tantum de pietate tua erga miseros nos nobis promittimus, ut spectata velut per praevisionem interventione tua, de te nunc audeamus usurpare, quod Paulus de Tito scripsit (χάρις δε τῷ Θεῷ τῷ δίδόντι τοιαύτην σπουδὴν ὑπὲρ ἡμῶν ἐν τῇ καρδίᾳ Τίτου) nomenque Titi commutare apud nos cogitemus in nomen Zvingeri. Te vero etiam ut lucidissimam Ecclesiae Basiliensis stellam, cum collegis ejusdem census omnibus, vovemus et precamur cum omnibus, qui ab inspectione nostra pendent, ut bene perpetuoque servet et sospitet ille, qui olim apparerat septem illas stellas dextera sua tenere atque in medio candelaborum septem ambulare. Dabamus Lesnae 5. Maii anno 1633.

R. D. T. Studiis et precibus nostris addictissimi:  
 Georgius Erastus, senior Moraviae,  
 Matthias Procopius, sen. Bohem.,  
 Johan-Amos Comenius, Mor. sen.,  
 Paulus Fabricius, sen. Boh.,  
 Johannes Hermon,  
 Wenceslaus Locharius, }  
 Johannes Laurentius, } Conseniores.<sup>1</sup>  
 Petrus Cephias, }

## 287.

1633, le 29 juillet. Zurich.

*Jean Breitinger, supérieur de l'Eglise de Zurich, à Etienne Fabricius, supérieur de l'Eglise de Berne: il recommande deux députés des Eglises de Frères exilées en Pologne et en Hongrie, qui viennent solliciter de l'aide pour les Frères souffrant de l'exil prolongé.*

Zurich, StA. Sign. E. II. 12, p. 140. Brouillon.\*

S. Veniunt ad vos, clarissime vir, dilectissime in Domino frater, reliquiae sanctissimae fratrum Bohemorum et Moravorum, quae in Polonia partim, partim in Hungaria in Christo manent. Sequuntur hi agnum, quocumque is eat, nec diligunt terrena prae aeternis. Invictae certae et divinitus concessae patientiae specimina exhibuerunt decennium integrum ad stuporem et miraculum usque. Dignissimi igitur nobis visi sunt, quod charitatis nostrae affectum non magis quam effectum ipsum experiantur. Verecundati quidem ab initio fuimus hominum nostrorum alacritatem toties tentare, cumprimis post collectas tot alias antegressas. Verum tetigit Dominus et amplissimorum procerum corda et ecclesiae universae utque dedignaretur hos sua commiseratione, auditus fuerit ex omni multitudine nemo. Quare, tametsi alienissimus sim ab importunitate commendatitiarum, dubitare tamen non potui duos istos optimos viros ad vos proficiscentes ornare literulis. Tu, quae spectatissima tua est pietas, quid facto sit opus, noris.<sup>a</sup>

<sup>1</sup> Voir No 285/2.

<sup>a</sup> La partie suivante (12 lignes), qui ne concerne que les affaires internes des deux Eglises, est supprimée.

Vale, dilectissime in Domino frater, et venerandos symmystas tuos in eis verbis plurimum jube salvere. Tiguri 29. Julii 1633.<sup>1</sup>

Qui te amo et colo

Johannes Jacobus Breitingerus,  
ecclesiae Tigurinae rector.

## 288.

1633, le 29 août. Bâle.

*Jean Abdon, délégué de l'Eglise de Frères en Pologne, à Théodore Zwinger, supérieur de l'Eglise de Bâle: il l'informe de la collecte des aumônes en Suisse et il attend avec impatience son retour à Bâle pour qu'il puisse aider par son influence à ce que les prières des exilés soient exaucées. Il le prie d'intercéder en leur faveur auprès des Mulhousiens.*

Bâle, ÖBdU. MS. G<sup>2</sup>. II. 8, fol. 1; [MS. Frey.-Gryn. II, 25, 1]. Copie ancienne.\*

Salutem, officia et preces, reverende, excellentissime, clarissime domine doctor. Ut morientium ita peregrinantium par conditio est, non manendum quam diu velis nec abeundum pro lubitu, sed occasione atque necessitate urgente vel [est] nobis commorandum vel discedendum. Idem ego abunde experior in negotio hoc difficillimo. Peragravi, non sine multo sudore, majorem Helvetiae partem Dei gratia incolumis, nec est, quod laboris paeniteat; aperuit Dominus piorum corda, ut magna hilaritate conferrent de facultatibus suis pro afflictis piis exulibus istis. Tigurini 1100 imper. dederunt, Bernenses in tota provincia colligunt, quod intra duas septimanas vix perfici poterit. Schaffhusini et S. Gallenses senatores non promiserunt solum, sed quod spero collectam in prom[p]tu habent, cujus rei gratia nunc eo redire, ut conventum erat, necesse est, nec adventum Excellentiae Tuae expectare licet, ob temporis angustiam, appropinquante nundinarum termino. Rediimus huc Berna visuri, utrum interea aliquid hic actum sit. Verum propter absentiam E. T. nihil movebatur amplius. Petiimus itaque et impetravimus a domino consule rem nostram in senatum deferri, ibi auditis nobis et re deliberata unanimiter collecta constituta est. Sed promulgatio ejusdem in templis usque ad adventum E. T. reservata. Eo responso nos optime contenti, qua par est observantia rogamus: Resumat pium hoc opus, et quam primum, quam optime, populo Dei commendari colligique curet. Qui possunt, velint etiam seminare grana aliquot charitatis suae in Bohemico etiam agro, minime infertili, ut postea metant copiosiore benedictionem in hac et futura vita, quod nos fideliter orare

<sup>1</sup> Le 30 juin 1633, Etienne Fabricius, supérieur de l'Eglise de Berne, accuse réception de la lettre de Breitinger, concernant les exilés tchèques: « Quo minus hactenus responderimus, penes me non stetit. Dabimus autem operam, ut brevi quid sentiamus, intelligetis. Deus ubique suggerat consilia salutaria et totum negotium dirigat ad nominis sui gloriam et ecclesiae aedificationem » (Zurich. StA, E. II. 12, p. 140. Original). Intéressantes sont aussi les notes de J. Breitinger sur d'autres collectes organisées au bénéfice des coreligionnaires tchèques (voir Zurich, StA, E. II. 279, S. 147, 159, 191, 203 et autres).



Georg Herr von Waldstejn  
Johann Wilsch von Quittbusch  
Georgius Erastus Senior  
Matthias Procopius Sen. Pol.  
Johan-Anna Comenius, Moraviae  
Wenceslaus Loeborius Conf.

Jean Amos Comenius et signatures des Anciens de l'Union de Frères. — 1634, le 5 Janvier.  
Leszno. — No 290.



non cessabimus. Quae Mülhusinorum sit responsio, plane ignoramus. Rogamus, curet E. T. eos denuo monendos, ut conjungant benevolentiam suam, nec excludantur a tam sancto opere. Collectam deinde in unum eleemosinam Lipsiam per cambium promovere promisit dominus tribunus Fesch, cui nominare debemus personam, quae Lipsiae eandem accipiat. Cum nominamus nosmet ipsos, respondet periculosum esse; nescio, quid periculi in nobis suspicetur, nec video, cur mercatori ignoto potius credat quam nobis. Si tamen mercatorem nominari vult, dicimus dominum Martinum Schmertasch, praecipuum ibidem virum, sed necesse est eum prius rogari a nobis. Caeterum totum hoc opus Deo et E. T. committimus, devote petentes, digneris id consilio et auxilio tuae autoritatis promovere quam primum, breve enim est tempus. Nos circa 15 dies huc redituri sumus, tabulas accepti exhibituri, ut summa collectae iisdem inscribatur. His vale, vir excellentissime. Dabam Basileae 19/29. Augusti anno 1633.

Excellentissimae Reverentiae Tuae observantissimus

Johannes Abdon, ecclesiae Bohemiae delegatus.<sup>1</sup>

## 289.

1633, le 7 octobre. [Francfort sur le M.]

*Jean Abdon à Théodore Zwinger, Bâle: arrivé à Francfort, il trouva le marchand qu'on lui avait désigné pour prendre possession de l'argent que la magistrature de Bâle devait y déposer en faveur des émigrés tchèques, comme le marchand n'avait aucune nouvelle de cet argent, il s'est adressé à un autre marchand et, à force de prières, avait obtenu de lui un prêt, à titre de l'argent promis. Que l'aumône des Bâlois soit remise à cet autre marchand qui, après avoir retenu le montant de son prêt, fera suivre le restant de la somme aux Frères. Salutations aux amis bâlois.*

Bâle, ÖBdU. MS. G<sup>2</sup>. II. 8, fol. 2; [MS. Frey.-Gryn. II, 25, 21]. Copie ancienne.\*

Reverende et clarissime domine doctor! Si beneficium a vobis promissum tempore locoque praescripto accepissemus, constitutum erat hac occasione debitas agere gratias, sed eo, nescio quo casu, hactenus privati, id de novo petendo, molestus esse cogor. Postquam enim Francofurtum non sine magnis sordidae tempestatis incommodis, impensisque non exiguis, tandem feliciter Deo bene favente attigimus, non neglexi de hospitio domini Passavantii inquirere, eique, quid inter nos gestum constitutumque fuerit, significare, qui se pecuniam daturum non difficulter promisit, postquam a vobis literarum aliquid acceperit. Quas ego dum singulis pene diebus frustra repeto, non nisi taedium ipsi, mihi vero pudorem et dolorem augeo, hactenus beneficio vestro ut Basilea sic Francofurto vacuus

<sup>1</sup> Pour le résultat des collectes bâloises en faveur des exilés tchèques voir la lettre No 281. [Adresse]: Reverendo, excellentissimo clarissimoque viro, domino Theodoro Zwingero, S. Theologiae doctori et professori ecclesiaeque Christi antistiti apud Basilienses, dignissimo patrono in Christo observantissimo, dentur Basel.

discedere cogor. Verumenimvero, quia beneficia haec, non ut ab hominibus, sed tanquam ab ipso Deo excipere soleamus, nulla ratione mihi persuadere patior magistratum amp[1]issimae reipublicae Basiliensis qua politicum, qua ecclesiasticum tanta prudentia, gravitate pietateque excellentem, avem in aere ostendendo incerta promittere noluisse, sed ex aliquo accidenti praeter voluntatem vestram hactenus dilatum, non ablatum. Idcirco cum benevola promissio in iustum vertatur debitum, nos tanquam in recerta animum non abjecimus, de voluntateque vestra bene sperantes beneficium hoc oppignoravimus. Accepimus enim mutuo pecuniam a mercatore Francofurtensi, nomine Dawid von Bile, habitante in platea dicta die Sandtgasse bei drei Zeilen, et cum eo ita transegimus, ut quicquid a vobis missum fuerit, ipse exciperet debitive partem solutam haberet, literas autem vestras nobis Lipsiam vel in Poloniam etiam transmitteret, et quantum acceperit, significaret. Rogamus itaque Reverentiam Tuam humillime, velit pium hoc opus, quod coepit absolvere, negotium nostrum apud amplissimum magistratum urgere. Et si quid ab eo largitum fuerit, mercatori supradicto Dawidi von Bile transmittere, nil dubitans, quin opus hoc Deo gratum, ecclesiae et reipublicae laudabile sit futurum, et nos habebimus occasionem, primum Deo, deinde vobis, post et iis, qui commendationibus suis nos ornarunt, gratias agendi. Dominus Jesus Christus beneficium hoc sibi factum ultimo die pronuntiet efficiatque, ut cum gaudio centuplum metat, quisquis in hunc agrum aliquid seminaverit, gratitudinis loco unanimiter precamur precabimurque. Vale. Dabam 7. Octobris stilo novo anno bonae spei 1633.<sup>a</sup>

Reverentiae Tuae addictissimus

Johannes Abdon.

Generoso domino Brederodio nobilium meorum nomine humillima denunties servitia; reliquis, domino Tossano,<sup>1</sup> Lucio,<sup>2</sup> Scretae<sup>3</sup> etc. officiosissimam salutem rogo.<sup>4</sup>

## 290.

1634, le 5 janvier. Leszno.

*Les Anciens des Eglises de Frères en Pologne et les représentants des émigrés tchèques au Conseil municipal de Zurich: les délégués ont apporté la nouvelle de la riche aumône destinée par les Zurichois aux exilés tchèques. Au nom des*

<sup>1</sup> Il s'agit probablement de Paul Tossanus, fils de Daniel Tossanus qui était professeur à l'Université de Heidelberg.

<sup>2</sup> Lucius Ludovicus (1577–1642), professeur d'hébreux à Bâle.

<sup>3</sup> Probablement Jean Škréta Schotnovius de Závovíc qui fut inscrit à Bâle en 1619/20. Ses frères vivaient en exil à Brzeg.

<sup>4</sup> Cf. les remerciements que les Anciens de l'Union de Frères adressèrent aux prêtres de Bâle d'avoir accueilli avec bienveillance leurs envoyés et de leur avoir donné leur appui (J. K v a - č a l a, Korespondence J. A. Komenského II, p. 12).

<sup>a</sup> La présente lettre porte la date de 1637, ce qui ne peut être juste car M. Procopius et J. Hermonius dont elle porte la signature étaient morts dès 1636 (cf. F. H r e j s a, Česká konfese . . . , p. 549). En considération de la lettre No 283, nous avons mis la date de 1633.

*exilés, ils présentent les remerciements les plus sincères de ce bienfait dont le souvenir restera toujours vivant parmi les exilés.*

Zurich, StA. Sign. A. 90, p. 1—3. Original avec les signatures autographes.\*

Edle, ehrenfeste, hochgeachte, wohlweise, grossgünstige Heren Bürgmeister u. alle Herren des Rats. Gottes Gnad und Friede in Christo nebens unserer stets geflissener Fürbitt zuvor.

Was für sondere hochdringende Not in unserm numehr so lang wehrendem Exilio verwichenes Jahrs endlich uns angetrieben, dass wir vieles Tausend gutes Teiles gar ausgezehrten u. elendlichen verarmeten Exulanten wegen, zu den auslendischen ewangelischen reformirten Kirchen uns zuwenden und bei denselben umb einen Hilfpfennig demütiges Ansuchen zu tun, nach christlicher Erwekung der Sachen Rats worden, ist Euer Hochheiten u. Weisheiten ohne wiedererholtets Erinnern vorhin bewust. Massen den aus sonderlichen Vertrauen zu derselben weltbekannten christmildigen Barmherzigkeit, auch an Sie solches unseres demütiges Begehren durch unsere herzu abgeordnete geliebte Brüder wir gelangen lassen. Wie herzmitleidig, willig und mildig im E. H. u. W. sich hiergegen befunden lassen, haben wir von gedachten unsern lieben Brüdern, als sie durch Gottes Verleihung und Leitung wohl wieder zurückgelanget, tröstlicher und erfreulichermassen, zu vernehmen gehabt. Welche den uns u. unsere ganze Gemeinde, nicht allein von sonderlichen beweglichen und herzrührenden Mittheiden, so an E. H. u. W. sich aus Vernehmen, unsers langwierigen Elendes u. mangelhaften Zustandes ungesemet erwiesen, zu sagen und zu zeugen wissen, sondern auch aus deroselben mildreichen u. guttatigen Händen und gnädig bewilligten und angestellten Collecten eine ersprössliche, höchst danknehmliche Summa von 1100 Reichstaler praesentiret u. eingeantwortet haben. Und ist solcher unser gedachten lieben Brüder Anmelden und Praesentirung eben in der Zeit uns desto tröstlicher gefallen, da es durch die antichristische List und Betrug abermal das Ansehen genommen, als wenn numehr alles Hoffen, so wir wegen Änderung oder ja erfolglicher Linderung unseres Elendes noch übrig gehabt, uns endlich ganz und gar verschwunden u. entreumet wäre, dass wir auch in Befahrung stehen müssen, ob in deren Orten, da wir uns bishero gehalten, wir uns ferner einziges sichern Bleibens möchten zu getrösten haben. So ist uns auch zugleich nicht unvermeldet gelassen worden, bei was in vorher erst entrichteten, so gar vielen und schweren Collecten dennoch Euere christliche Gemeinde so gutwillig und reichmildig gegen uns sich erwiesen, welches uns und unsern ganzen Gemeinde desto mehr Ursach gegeben wegen E. H. u. W. und deroselben Gemeinde Guttätigkeit und Hilfreichung Gott desto embsiger zu danken. Können aber daneben auch nicht unterlassen E. H. u. W. sowohl für uns als auch unserer ganzen (!) Gemeinde wegen nicht allein höchsten Dank nach Gott zuzuschreiben, sondern auch sie dessen hiemit gleichsam zu versichern, dass solche Wohltat nimmer soll bei uns in Vergessen gestellet werden. Zwar bei gegenwärtigen Zustand wissen wir ein grösserer u. höherer Dankmittel nicht zu ergreifen, als ein stets fleissiges, ernstes Gebet für E. H. u. W. zu Gott. Zweifeln aber auch nicht, derselbe würde solches nicht unverhört lassen. Und wie er alle Wohltat überreichlich zu belohnen weiss, dass auch unsern wegen bei E. H. u. W. in deroselben ganzen Landschaft tat befindlich erweisen. E. H. u. W. hiebei göttlicher väterlicher Obacht u. Benedeiung, uns aber derselben wohlgeneigten gnädigen



Affecten und Förderung stets hinfüro empfohlen. Geben zur Lisse 5. Januarii anno 1634.

E. H. und W. Dienst beflussene der reformirten böhmischen und mährischen Brüderschaft exulirenden Gemeinden Eltesten:<sup>1</sup>

Georg Herr von Waldstein, m. p.<sup>2</sup>  
Johann Wilck von Kwitckaw, m. p.<sup>3</sup>  
Georgius Erastus, Senior Mor. m. p.  
Mathias Procopius, Sen. Boh.  
Johan-Amos Comenius, Moravorum cons.  
Wenceslaus Locharius, Cons.

<sup>1</sup> Ce n'est pas pour la première fois que les Frères des pays tchèques s'adressèrent aux Zurichois (voir F. H r u b ý, Collectes au bénéfice des églises luthériennes allemandes de Prague dans le Sud de l'Allemagne et en Suisse en 1611, ČCH 47, 1931, p. 91). Cette fois-ci, la ville de Zurich non seulement donna suite à leur prière (voir No 288), mais elle l'a recommandée même aux supérieurs de l'Eglise de Berne (voir No 287).

<sup>2</sup> Georges de Valdstein, émigré tchèque; Charles de Žerotín lui donnait une aide financière pendant son exil (cf. F. H r u b ý, Mor. korespondence II, p. 277).

<sup>3</sup> Jean de Kvítkov l'Ancien prit part à la Révolte et, pour cette raison, perdit son petit domaine situé dans les environs de Boleslav. Il émigra en 1628. Il était membre de l'ambassade envoyée chez le roi de Suède (voir F. H r u b ý, Ladislav Velen z Žerotína, p. 207).

[Adresse]: Den Wollweisen Herren Burgermeistern und Rat der loblichen Stadt Zirich, unsern grossgunstigen Herren und Patronen zue Handen. — Zirich.